L.4025.89

CAROLI CLAROMONTII,

Doct. Medici,

Nob. LOTHARINGI.

DE

AERE, LOCIS, & AQUIS

TERRÆ

Angliæ;

Deque morbis *ANGLORUM* Vernaculis.

Cum Observationibus Ratiocinatione & Curandi Methodo Illustratis.

LONDINI,
Typis *Thomæ Roycroft*, & Impensis *Johannis Martyn*, sub Signo Campanæ in D. *Pauli* Cœmiterio.
CIↃ DC LXXII.

Kkk.6.16.

80.c.

1863:17

Excellentissimo Principi

JACOBO

DUCI

ORMANDIÆ,

MARCHIONI

D'*OSSERY*, &c.

OXONIENSIS Academiæ Cancellario.

CAROL. CLAROMONTIUS

D. Med. *Lotharing.* S. P. D.

OFFERO tibi munus, Jacobe *Dux Excellentissime, si vel ex sua vel ex tua dignitate spectetur, sanè quàm exiguum, si ex viribus meis, permediocre, si ex animo magnum. Medica tractatio est, De Aere Locis & Aquis deque morbis* Anglorum *vernaculis,*

naculis, hic Londini concepta, quam ego sub amplissimi tui nominis auspiciis lucem aspicere concupivi. Miraberis fortasse, Dux amplissime, quid me impulerit hominem peregrinum, & longe hinc in media natum Lotharingia, ut ejusmodi munus ad tuam amplitudinem, deferrem. Sed mirari profecto desines, si recordari volueris, rerum abs te præclare, pace belloque gestarum famam, etiam in longinquas, & ab hac Insula remotissimas penetrâsse regiones. Audivimus etiam exteri, quanta fide, quàm invicta animi celsitudine, flagrante bello, plusquam civili, totâ Britannia, Regias partes & sequutus sis & defenderis: ut fortunas prodegeris tuas, ut caput, ut salutem, innumeris, Regis tui causa, discriminibus objeceris.

ceris. Te quoque vidimus summâ firmitudine & indomitâ constantiâ, fortunæ ferentem injurias, summos labores cum Rege tolerantem, & nusquam eum dimittentem, postea-quam Deo, res humanas infinita sapientia administranti, visum est ut Victor Tyrannus evaderet, Rex optimus tribus regnis everteretur, & omnes boni optimam sequutæ causam, pessundarentur. Sed tandem aliquando tempestas desevit, reddita serenitas, Rex clementia insignis & in quibuscumque fortunæ eventibus sibi constans, & sua nixus virtute, restitutus; Tuque, prout æquum & justum fuit, non solum antiquæ redditus dignitati, sed novis insuper honoribus amplificatus, summa justitia parique fide & continentia Hiberniæ Regnum adminis-

strictis, unde à Prudentissimo Rege ad majora quædam, quoniam magis ad universam Britanniam necessaria, revocatus; nunc quidem tuis consiliis in sanctiore Senatu, in publicis verò Comitiis, solita fide, gravitate & constantia, simul antiquam Britannicæ gentis gloriam, simul majorum tuorum virtutem, dignitatemque sustentas. Fecit igitur ea virtus, Excellentissime Dux, quæ, ubicumque reperitur, amabilis est, sed in Principe viro longe amabilior, quæque si corporeis cerni oculis posset mirabiles sui amores, in animis hominum conciaret: Fecit, inquam, tua virtus, ut tenuem hunc ingenii mei partum, sub amplissimi nominis tui tutela crescere, tuoque foveri aspectu, ac famâ celebrari percuperem. Idque

eò

eò magis quod & Oxoniensis Academia, quæ me hospitem aliquot mensibus humaniter habuit, Te, litterarum, omniumque bonarum artium quæ in ea docentur, Fautorem atque Patronum elegisset, & uti loquuntur, Cancellarium; quo nomine non tam honorem Tibi tribuisse, quàm à tua Amplitudine, summum accepisse splendorem putat: & egomet in alieno solo peregrinus, tanti viri patrocinio indigerem. Quamquam ea mihi, multo quàm vellem diuturnior peregrinatio, nulli dedecori esse debet. Quippe cujus nullam esse causam, haud hæsitanter adsevero, præter fidem in principem & ancipites dubii Martis casus, & communem infœlicis patriæ calamitatem. Scis enim Excellentissime Dux, quot & quantis bellorum tem-

pestilibus totos fere quadraginta annos misera conflictata sit Lotharingia. *Quod si me solita tua bonitas, sinit sublatis ambagibus vera loqui, non inexpertus es nec ignarus adversorum Fortunæ casuum. Scis quia sit extorrem patriæ vivere. Quod si tibi, tantæ amplitudinis viro, acerbum fuit, cogitare debes, minorum gentium nobilitati, longe acerbissimum accidere. Nunquam enim primi ordinis hominibus quos amplitudo dignitatis, etiam apud exteras nationes, illustres facit, ita iniqua fortuna est, ut rerum ad vitam necessariarum destitutos sinat; id quoà mediocribus evenire necesse est, cùm suis exuti bonis, apud exteras gentes exulare, & ignoti miserabilem & amicitiarum expertem ducere vitam coguntur.*

Quæ

Quæ cum ita sint, patere, Dux Excellentissime, ut in tua tutela Clientelaque acquiescam, quod eo magis mihi sperandum videtur, quod præter excellentes animi tui dotes, Clementiam atque benignitatem non tantum famâ celebrari audiverim, sed etiam aliqua ex parte sim expertus.

Deum Opt. Max. precor, ut amplitudinem tuam perpetuo sospitem felicemque conservet.

Dat. Londini
Non. Aug. 1671.

A D

AD

CLARISSIMOS

COLLEGII

LONDINENSIS

Doctores Med.

CRedo ego vos (Clarissimi Doctores) mirari quid sit quod ego & peregrinus & nulla hactenus rei familiaris in hac Insula stabiliendæ voluntate, id potissimum ex Medica Facultate tractandum

tractandum elegerim, quod ad aerem & aquas & loca, morbosque *Magnæ Britanniæ* populis vernaculos pertineret: præsertim cum non dubitarem, quin complures tota hac Insula viri, cum doctrina præstantes, tum ætate venerabiles, tum etiam in rebus patriis versatissimi existerent, qui longe id excellentius agere possent, quam vel ego vel quivis peregrinorum; qui, ut fit, res per transennam & aliò properantes, aliaque cogitantes aspiciunt. Id vero vos, non tam negligitis quam relinquitis: propterea quod domi versantes, ea quæ externis rara videntur, vobis quotidiana sunt continuoque usu cognita. A me autem id quod omisistis, forte fortuna exceptum est;

est; nata videlicet occasione, unde minime expectabam, & de qua ne per somnium quidem cogitaveram. Rem ego totam vobis narrarem, nisi mihi constitutum esset de Juvene, qui peregrinos homines, litterario cum *Anglis*, commercio, & ægrorum curatione arcendos dictitabat, penitus reticere. Fuere quoque è *Francis*, qui, quæ *Lutetiæ Parisiorum* fierent, inprimis adprobantes, creberrimam sanguinis missionem, curandis morbis solam esse adhibendam affirmarent. A quibus quoniam magnopere dissentiebam, hoc mihi disquirendum putavi, sitne ea sanguinis evacuatio, tam frequenter ægrotantibus *Anglis* administranda, habita aeris & aquarum, & locorum

corum & morborum, quibus ut plurimum conflictantur, ratione. Scio equidem rem diffusius, doctius, accuratius, enucleatius, pertractari potuisse, quàm à me tractata est; quippe qui & casu, in hanc Insulam delatus sim, &, uti hospites solent, in iis locis de quibus loquor, paucos dies commoratus, omnia pervestigare cognoscereque, tantillo tempore non potuerim. Verùmtamen id quodcumque est quæso vos, Clarissimi Doctores, bonam in partem interpretamini, patiminique extare; vel exiguum, meæ erga vestrum Collegium observantiæ sane non mediocris argumentum.

Epistola

EPISTOLA EXHORTORIA

Conſtantini Rhodocanacidis Chienſis, viri in litteris *Græcis* exercitatiſſimi, Regii Chymici.

Ad Rei Medicæ Studioſos.

Κωνσταντῖνος ὁ Ροδοκανάκις

Ὁ χίος χυμικὸς

ΒΑΣΙΛΙΚΟΣ,

Τοῖς φιλιαστροῦσιν εὖ πράττειν.

Ἡ Ἐπιστήμη, ὡς περιφανὲς, ἔκλαμπρον καὶ θεῖον ὑπαρχουσα χρῆμα, κατ' οὐδένα τοῖς αὐτῆς ἀληθέσιν ἐρασταῖς τρόπον ἀποκρύπτεσθαι πέφυκεν, ἀλλὰ μᾶλλον θεατὴν αὐτὴν τοῖς ὑπραγαπῶσιν ἀπεργάζεσθαι· ὥσπερ γὰρ τὴν ἐρῶντα καταλαμβανόμεθα περὶ παντὸς ποιεῖσθαι καὶ πάντα κινεῖν λίθον, ἐφ' ᾧ τοῦ ἐρωμένου τυχεῖν, οὕτω καὶ τὸ ἐρώμενον, εἰ καὶ ποτ' ἀποστρεφόμενον φαίνοιτο, ἀλλ' ὅμως τῇ ἀληθείᾳ γε πλεῖστον ὅσον τὴν

οἰκεῖον

οἰκεῖον ἀντιφιλεῖ καὶ περιπτύσσεται ἐραστήν· παρὰ μὲν οὖν ταύτην τὴν αἰτίαν συνήθειά τις ἡμῖν καὶ οἰκειότης γέγονε πρὸς τὴν εὐγενέστατον, ἐλλογιμώτατον ἄνδρα καὶ τῆς ἰατρικῆς ἀκριβέστατον διδάσκαλον. Κύριον Κάρολον τὸν Κλαρομόντιον τῷ γένει λοταρίγκον· τοῦ τὴν δὲ ταῖς αὐτοῦ σοφαῖς τε καὶ γλαφυραῖς ἐνησμονίζομεν συνομιλίαις, ὥστε πολλάκις ὑμᾶς πρὸς ἀλλήλους φοιτῶντας ἡδονῆς οὐ τῆς τυχούσης ἐν ταῖς ἀμοιβαίαις ἐμφορεῖσθαι διαλέξεσιν· ἔστι γὰρ ἴδιον τῆς ἐπιστήμης οὐ μόνον τὴν αὐτῆς ἐπίβολον ἀξιέπαινον τοῖς ἄλλοις ποιεῖσθαι, ἀλλὰ καὶ αὐτῷ τούτῳ προξενεῖν ἄφραστον εὐφροσύνην τε καὶ γλυκοθομίαν· ὅστερ, ὡς ἴδιον μεῖζον ἀγαθὸν ἔστι τοῦ ἐπαίνου ἀλλοτρίου ὄντος· οὐδὲν γὰρ ἔστιν ἥδιον παρὰ τοῖς τῷ πόθῳ τῶν καλῶν κατεχομένοις γραμμάτων, τῆς συναστροφῆς, τῆς πρὸς τοὺς λίαν πράγματα πεπαιδευμένους μέγιστα, τῇ εὐγλωττίᾳ οὐ μετρίως ἀνθοῦντας, καὶ τάτε πάλαι καὶ καινωτέρως τοῖς ἄλλοις εἰρημένα, στρογγυλοτέρως ἀπαγγέλλοντας· καὶ γὰρ ὁ ἀνὴρ οὐχ ὅπως περὶ τὰ τῆς ἰατρικῆς ἐν τοῖς μάλιστα ἤσκηται, ἀλλὰ καὶ περὶ τὰ τῆς ἱστορίας ἐξη-

κρίβωται

κρίβωσι καὶ κατὰ τὸ ἡμέτερον ἰδίωμα ἀρκούν-
τως γεγυμνάσται· καὶ τ' ἀληθὲς εἰπεῖν, το-
σοῦτον τῇ τῶν εὐδοκίμων συγγραφέων ἀνα-
γνώσει δοκεῖ συνομιλήσας ὥστε πάντας τοὺς
ἀκούοντας τοῦτον διαλεγόμενον ἐξηγούμενον
μακαρίζειν τῶν περὶ τὴν ψυχὴν καλλοπισμάτων·
καὶ γάρτοι τῇ κατὰ φιλοσοφίαν ἐννεάσας σχολῇ
καὶ ἐξ ἁπαλῶν ὀνύχων τῇ τῶν ὄντων θεωρίᾳ
προσβαλὼν, τὰ τοῦ νοῦ κάλλη κεκαρπῶσθαι
δίκαιός ἐστι· ἐπὶ μὲν ὁ ῥηθεὶς ἀνὴρ ἔνια
φιλοπονήματα κατ' ἐπίστασιν περὶ διαφόρων
ἐτύγχανε πραγμάτων ξυγγραψάμενος, ἐν
οἷς ἦν ἐν περὶ τοῦ ἀέρος, τόπων, καὶ
ὑδάτων τῆς βριττανικῆς ἐπαρχίας κατὰ μίμη-
σιν τοῦ ἱπποκράτους συντεθειμένον μετὰ καί
τινων παρατηρήσεων τρόπῳ ἐκπεπονημένων
ἱπποκρατικῷ, ἡμεῖς σὺν ἄλλοις ἐπὶ σοφίᾳ περι-
φήμοις ἀνδράσι παρακεκλήμεθα τοῦτον τύποις
τὸ ἔσχατον σύνταγμα παραδοθὲν, ἐμφανὲς
τοῖς φιλιατροῦσι ποιήσασθαι· ἅτε δὲ τῇ
ἰατρικῇ πασῶν τῶν τεχνῶν ἐπιφανεστάτῃ με-
γίστην παρεξόμενον ὀφέλειαν, προηγουμένως
δὲ ἐν τῇ ἐπαρχίᾳ· ἐκλιπαροῦμεν οὖν τοὺς
ἐντευξομένους εὐμένως ἀποδέξεσθαι τὰ τοῦ
ἀνδρὸς

ἀνδρὸς γλαφυρά τι καὶ λεῖσιμα ἐγχει-
ρήματα καὶ περὶ τὴν αὐλῶν φιλανδρατὰν ἀσ-
μένως ἀναγνῶναι, ὡς ἂν καὶ ἄλλα γ'
ἐπιβάλλοιτο μείζω τούτων ἔργα, εἰ τὰ αὐτῷ
φιλοπονήματα καταμάθοι αὐλοῖς ὢν ἀνδρὶ
γενναίῳ.

Εἰς

Εἰς τὸ φιλοπόνημα Κυρίου

Καρόλου τοῦ Κλαρομοντίου

τοῦ ἸΑΤΡΟΥ.

(γλοις,

Ἡ δὺ πονυμάτων Κλαρομόντιος ἤνυσεν Ἀγ-
γῆς, πέρι καὶ ὑδάτων καὶ ἀέρος σκπέων.
Ἱπποκράτης ὡς ἄλλος ἔχων κλέος εἰς ἰατρεῖην,
ἑ ἀπόγε στόματος ῥήματα ρεῖ γλυγκέα.
Τούτῳ νοῦν ἴδριν θέτο μοῦσ' ἐπὶ πάντα θεᾶσθαι.
ὅσσα μέροψι πέλει σύμφορα εἰς ἴασιν.
Ταῦτα ἕκαστάγε πᾶσι διακριδὸν ἐξαναφαίνειν,
ὥστ' ἴασιν σώζειν, οἷσι μέμηλ ἴασις.

Κωνσταντῖνος ὁ Ροδοκανάκις
χυμικὸς Βασιλικὸς.

Ὁ

Ὁ αὐτὸς εἰς τὸν αὐτὸν στίχοι Ῥυθμικοί.

Κλαρομόντιος ὁ κλεινὸς ἔργον ἐξακριβώσας
Ἐξαίρετον, τοῖς ἰατροῖς αὐτὸν ἐστι δηλώσας.
Ὡς πίλει πρόθυμος ἀνὴρ νοσοῖς χρησιμεῦσαι
Λόγοις, ἔργοις τε, καὶ βουλαῖς καὶ τούτους θεραπεῦσαι.
Περὶ ὑδάτων γὰρ καὶ γῆς ἔτι καὶ τοῦ αἰθέρος
Πραγματεύεται ἀκριβῶς, ὡς κ' αὐτοῦ τοῦ αἰθέρος.
Ἀφ' ὧν αἱ νόσοι ἔργον καὶ βλάβαι τῶν σωμάτων.
Ὡς ἱπποκράτης εἴρηκε περὶ τῶν νοσημάτων.
Ὅπου περίγε τῶν αὐτῶν σοφώτατα σκοπέει,
Καὶ τοὺς ποθοῦντας εὐρωστεῖν παστικῶς νουθετέει.

Caroli

Caroli Claromontii

D. Med.

LOTHARINGI

PRÆFATIO AD LECTORES.

PRaclarum omnino mihi videtur illud inventum esse Philosophorum Antiquorum, quo penitus admirabilem hominis à Deo conditi naturam, cum hac immensa

Ὁ αὐτὸς εἰς τὸν αὐτὸν στίχοι Ῥυθμικοί.

Κλαρομόντιος ὁ κλεινὸς ἔργον ἐξακριβώσας
Ἐξαίρετον, τοῖς ἰατροῖς αὐτὸν ἐστι δηλώσαι.
Ὡς πέλει πρόθυμος ἀνὴρ νοσοροῖς χρησιμεῦσαι
Λόγοις, ἔργοις τε, καὶ βουλαῖς καὶ τούτους θεραπεῦσαι.
Περὶ ὑδάτων γὰρ καὶ γῆς ἔτι καὶ τοῦ ἀέρος
Πραγματεύεται ἀκριβῶς, ὡς κ' αὐτοῦ τοῦ αἰθέρος.
Ἀρ' ὧν αἱ νόσοι ἔργον τοῦ καὶ βλάβαι τῶν σωμάτων.
Ὡς ἱπποκράτης εἴρηκε περὶ τῶν νοσημάτων.
Ὅπου περίγε τῶν αὐτῶν σοφώτατα σκοπέει,
Καὶ τοὺς ποθοῦντας εὐρωστεῖν πατρικῶς νουθετέει.

Caroli

Caroli Claromontii
D. Med.
LOTHARINGI

PRÆFATIO
AD
LECTORES.

PRæclarum omnino mihi videtur illud inventum esse Philosophorum Antiquorum, quo penitus admirabilem hominis à Deo conditi naturam, cum hac immensa

rerum universitate comparanter, eum abbreviatam Mundi totius imaginem, Universi compendium, & multò significantiori vocabulo Græci (ut est in rebus exprimendis ingeniosa gens) μικρόκοσμον appellaverunt. Verum ea ne similitudo valeat ad corporis facultates, an ad animi virtutes exprimendas, diu magnis studiis quæsitum est. Ego ad utriusque naturam spectare arbitror: Nam ut alias illius excellentis comparationis partes, quæ nihil ad propositum mihi nunc argumentum faciunt, prætermittam: cerebrum ipsum, in quo consilii sedem, atque rationis arcem esse collocatam veteres voluerunt, Oceano simillimum esse judico: cujus reciprocantes æstus, undasque ac fluctus invicem propellentes, perenni motu,

motu; procellas & ventos, perpetua cogitationum agitatione repræsentat. Neque enim tot ac tam frequentibus anäabundum volvi fluctibus Oceanum existimo, quot & quam variis & incertis & momentaneis humanus animus cogitationibus, paulo momento huc atque illuc impellitur. Et cum hæc singulis diebus, singulis horis eveniunt: tum secundum ætates, multo majores fiunt in homine mutationes. Quemadmodum autem in hoc immenso terrarum orbe, si quis in longævam quingentorum aut sexentorum annorum senectutem vitæ produtere tempus posset, maximus ubique terrarum, transformationes reperiret: atque ubi tellus olim & sylvæ luxuriabant; illic fluctuantem Oceanum cerneret; ubi vero

quondam Oceanus, inibi domos & nemora, viridantiaque prata, non sine admiratione conspicerct: rursus, ubi populosæ civitates olim & minantia cælo tectorum fastigia cognovisset, illic deserta omnia, vastamque solitudinem, & horrentem quodammodo naturam videret: haud absimiliter hominum & animis & corporibus evenit. Senescunt ista, & quem puerum pulchellum & elegantulum vidimus, vix senem canis aspersum & incurvum agnoscimus. Animi quoque cogitationes, & sententiæ planè diversæ; ὅτι ὅμην νήπιος, *inquit Magnus Paulus,* ὡς νήπιος ἐλάλουν, ὡς νήπιος ἐφρόνουν, ὡς νήπιος ἐλογιζόμην; ὅτε δὲ γέγονα ἀνὴρ κατήργηκα τὰ τοῦ νηπίου. *Atque ita non magis singulis hominum accidit, quam universis. Fuit tempus,*

tempus, cum qui Antipodas esse dicerent, Hæreseos accerserentur, at nunc pueris & tonsoribus, Antipodes jam toto orbe sunt notissimi: adeo ut majorum nostrorum simplicitatem in ea re vehementer admiremur. Quod si nunc Democritus, *ac* Democriti *discipulus* Epicurus *reviviscat, rideat sane, cum atomos suos tot annis explosas & sepultas, nostro sæculo revocatas, cernat & multò quàm unquam antea florentiores. Contra mœreat optimus senex* Hippocrates, *doctrinam suam irrisam, se stuporis accusatum, nedum impostoræ damnatum videns; opera verò sua, in quibus tantum & operæ & olei posuit, nigram in culinam rapta, ut.*

Cordyl'as madida tegant papyro,
Vel thuris piperisque sint cucculi.

Nec letior existat bonus ille victoris tot gentium Alexandri *præceptor* Aristote'es, *sua rejici dogmata, sequi ipsum indignis vexari modis sentiens. Quid autem divinus* Plato? *Cui nusquam locus nisi in illa republ. quæ nullibi gentium unquam extitit. Quid igitur ille diceret si hoc eruditissimo sæculo juvenes videret multo quam ipse cùm grandis natu fuisset, sapientiores? Sed veterum illorum Philosophorum, qui veri Dei cognitione caruerunt, rescindi placita nihil mirum est. Quid autem* Chrisostomus? *quid si* Ambrosius *&* Augustinus? *imo verò quid* Petrus

& Paulus, *si nunc è cœlo descendentes, rursus mortali habitu, inter mortales versarentur; cum tot conciones, tot commentarios, tot notas, tot observationes viderent, nonne cogerentur confiteri, se nimium bonos & simplices fuisse, qui existimâssent, nihil ad scriptorum suorum perfectionem addi potuisse? & magnopere obstupescerent ad acerrima sapientissimorum Magistrorum nostrorum ingenia, qui tanto acumine, tam novam, quotidie in Theologiæ scholam, lucem inferant? Nondum enim ulla scientia, suis omnibus absoluta numeris reperitur: nondum artibus ultima hactenus est manus imposita: Neque (ut id quod sentio liberè dicam) mehercules*

Sic vocantur Doctores Theologi, in Gallia.

culos unquam, quamdiu mortales erunt, imponetur. At multa quotidie nova reperiuntur, quibus magna fiat ad omnes tum Mechanicas, tum liberales artes accessio. Equidem ea de re quidquid volent alii, sentiant licet: mihi longe diversa sententia est. Nullum enim jam dictum est, quod non dictum fuisse prius putem. Et ut verum fatear me summopere commovet istud sapientissimi Salomonis *effatum.* Quid est quod fuit? ipsum quod futurum est. Quid est quod factum est? ipsum quod faciendum est. Nihil sub sole novum, nec valet quisquam dicere; Ecce hoc recens est. Jam enim præcessit in sæculis quæ ante nos fuerunt. *Mihi vero sollicita mente perquirenti quid sit,*

cur

cur tot ac tam variæ sint, hominum opiniones, curvè nullus artium perficiendarum finis hactenus inventus sit, quinque causæ graves, ut mihi quidem videtur, potissimum occurrebant. Nam cum Deus optimus Maximus, hominem ad suam conditum imaginem omnibus animi corporisque dotibus exornasset, tum incredibilem indidit veri cognoscendi cupiditatem. Cui ut satisfaceret, non potuit sibi ipsi imperare, quin decerptum ex arbore vetita fructum degustaret, atque divina infringens mandata, beatæ immortalitatis, ad quam destinatus erat,

Quinque causæ cur tot sint & tam diversæ opiniones inter homines, & cur artes adhuc imperfectæ remaneant.

1 Causa Immensa sciendi cupiditas.

ſpe decideret: hinc in ejus poſteris inſatiabile ſciendi deſiderium, præpoſteraque & obſtinata naturæ perveſtigandæ curioſitas. Huic accedit arbitrii libertas, cum incredibili ſui ipſius amore conjuncta, quâ fit ut cùm huc atq; illuc animus incertus ſe converterit, atque nunc hoc nunc illud plane diverſum adprobaverit, tandem ſuam quiſque malit, quam alterius ſequi ſententiam. Et quamquam huic occurrere malo, veteres aliqui voluerunt; ſiſti tamen haud potuit; ſerpit uſque & ſerpet in omnem futuri temporis poſteritatem. Neque Pythagoras, vel diuturni ſeveritate ſilentii, vel ſumma quam in diſcipulos obtinebat authoritate, perficere potuit, ut ant à ſciſcitandi curioſitate

2. Arbitrii libertas & philautia.

curiositate abstinerent aut non iis quæ dicta erant, contentiose contradicerent. Quid quod peranguſtis definita limitibus est humani ingenii capacitas, & quidquid homines capiunt, non potest ipsorum ingenii fines excedere? Inde fit ut cum admodum varia atque inæqualis sit ingeniorum ad discendum aptitudo, una eademque res, diverso modo ab diversis intelligatur. Hinc natum illud Scholasticum axioma; Quidquid recipitur ad modum recipientis recipitur. Ex eodem fonte manant graves illæ atque implacabiles discordiæ, ardentes contentiones, studiorumque dissidia, ac sæpe alienationes voluntatum inter doctos, imo etiam inter ejusdem

3. Humanæ capacitatis imbecillitas.

præ-

præceptores discipulos. Quare haud mirum est unamquamque disciplinam, in tot ac tantas lacerari distrahique factiones.

4. Obscuritas naturæ.

Ipsius vero naturæ, quæ investigatur, obscuritas, ingentem quoque nostris addit studiis difficultatem. Cunctæ res difficiles, *inquit is qui non ex vana Apollinis Delphici oraculo, sed secundum Dei veri pronuntiatum, omnium regum sapientissimus habitus est*, non potest eas homo explicare sermone. *Ne longe & extra nos abierimus: quot jam seculis, de humani corporis structura, deque variis ejus partium officiis usibusque disceptatur? Quotnam autem rerum partem cognoscimus? quis vel unius formicæ naturam penitus intellexit? Neque tamen*

ab

ab inveſtigando ceſſamus, neque deſideriorum noſtrorum ſatisfacimus immenſitati. Magno nimirum argumento, aliquam noſtri partem eſſe immortalem. Nam quò plus ſcimus, eo ardentiori alterius cognoſcendi, cupiditate conflagramus. At nihil unquam flagrantem illam veri videndi ſitim explebit, præter Deum, qui cum ſit omnibus attributis infinitus, ſolus verus & æternus, omnis boni fons & origo, nos omniaque deſideria noſtra cumulate ſatiabit. Sed quid interea? quid? niſi ut id faciamus cujus gratia in medio hujus Univerſitatis Theatro poſiti ſumus, nimirum & pulcherrimam hanc Machinam aſſiduò contemplemur, & agamus ſemper aliqua, cum nobis

5. Immortalitas animi.

ipſis

ipsis utilia, tum etiam ceteris hominibus profutura.? Certe enim cum omnes homines naturâ instiguante, tum optimus quisque, maximè cognitione ducitur. Ea autem toto orbe quàm immensus est, extat amplissima, pulcherrimaque cognitionis exercendæ materies. Nam quemadmodum præclare Pacificus ille Rex admonet: Cuncta fecit, Deus, bona in tempore suo & Mundum tradidit disputationi eorum. Verumtamen quidquid agamus, quidquid moliamur, ut ut novas ad artium inventionem fieri quotidie accessiones arbitremur; nunquam tamen id quod quærimus, perfectum & absolutum assequemur. Ut non inveniat homo opus quod operatus est Deus, ab initio usque ad finem. Quæ cum animo

mee,

meo, seriò reputans, ita quidem ingenitæ veri cognoscendi cupiditati moderatus sum, non ut languori me dederem & inertiæ; sed ut Antiquorum placita pervestigans; quantum quidem per ingenii mei mediocritatem liceret, intelligerem; quæ cum bene & eleganter esse constituta viderem, confirmataque tot seculorum diuturnitate: atque omnium sapientissimorum virorum, qui superioribus ætatibus vixerunt autoritate comprobata; nullam mihi causam satis esse gravem putabam, cur ab eorum disciplina discederem. Neque tamen, ut ingeniosissimorum hominum, qui nostra patrumque memoria, novis rebus investigandis, omne studium atq; operam contulerunt, industriam reprehenderem, mihi committendum,

mittendum putavi. Sed ne omnes quidem usquequaque adprobandos judicavi. Enimvero, extitêre & extant etiamnum aliqui; quorum elaborata lucubrationes, & accurata experimenta, cum toti Philosophiæ, tum Hippocraticæ doctrinæ, plurimum & lucis afferunt & ornamenti, quibus eo nomine devincti sumus. Sunt quoque (quod cum bona ipsorum venia dictum esto) sunt, qui cùm antiqua dogmata convellant; nihil ipsi melius afferre possant. Qui quo jure à nobis petant, ut ipsorum inventa comprobemus, haud sanè video. Non enim ij sumus, qui, statim ut novi aliquid allatum erit, admirandum & amplectendum putemus. Novitas ipsa quidem sua jucunditate, sensus demulcet; at enim

haud

haud semper tuta solidaque est. Nolo cujusquam laudi ac laboribus oratione mea detractum esse; sed tamen ut vino veteri, cum domi essem, quotidie nutriebar; delectabar interdum novo: sic novæ mihi quidem nunc placent Inventiones, at priscâ doctrinâ pascitur animus. Ut bellaria secundasque mensas sic novæ dogmata, non ad pastum sed ad gustum adhibenda censeo. Fœminas quidem videmus conditis fructibus mellitisque libis ac mulso, relictis solidis cibis, rejectoque defæcato vino, sic delectari ut iis sæpe se ingurgitent. Et sunt delicata quædam ingenia quæ veterum placitorum acrimoniam non ferentes, totos se novorum inventorum dulcedine proluunt. Qui mihi videntur Terentiane illi mi-

Herculæ non absimiles pitissanti ac dicenti,

Asperum, (vide. Pater, hoc est, aliud lenius, foedes,

Quibus ego mulsi calicem, quàm sæpe volent quin ebibant non impedio: mihi certè mero illo, & linguam pungente, & calfaciente stomachum, Cratera coronari patiantur. Est enim ejus austeritas mei palati. Usus vero mulsi non tam prodest, quam obest abusus. Nam præterquàm quod ætatem non fert, acescit enim; vapores insuper in cerebrum ex eo poto feruntur multò tetriores, multóque pernitiosiores quàm è vetusto. Tormina, lienterias, dysenterias, parit; impuris succis opplet viscera, hydropi-

sim

sim sæpe, convulsiones interdum, nonnunquam paralysim, & alia id genus inducit mala. Vetustum vero, quid? Nihil horum, si moderatè bibatur. Contra spiritus fovet & exhilarat, sanguinem gignit purivorem, omne corpus probo alit succo, denique poëtas & oratores efficit, & omnem pellit ex animis stuporis atque hebetudinis & mœroris nubem. Postremo

In prælia ducit inertem,
Sollicitis animis onus eximit, addocet artes,
Fœcundi calices quem non fecere disertum?
Contracta quem non in paupertate beatum?

Similiter in antiqua doctrina, com-

compluria bona reperiuntur ſi ſapienter utare. Solidis enim & conſtantibus virtutibus implet animos; cogitationes non fœcundas modo, ſed ſublimes etiam & vere maſculas ſuggerit; ſedat perturbationes; & quantum ad Medicinam attinet, multo & tutiùs & ocyùs, & jucundiùs ſanat morbos. Nam illud à præſtantibus reſcire Novatoribus pervelim: quæ reperiſſe aiunt, ea ne ad Medicinam Contemplativam ſpectant, an ad actīvam pertinent? Si ad Contemplativam, inanes plerumque ſunt, verborum immutationes, quæ nihil aut parum ad rem faciunt: ſin autem ad Activam referuntur, certe dubiis inniti conjecturis neceſſe eſt, itidem ut Antiqua, imò etiam multò incertioribus. Nam Antiqua, longa jam ve-

vetuſtas commendavit. Neque enim quidquid agant; quo ſe cumque vortant, efficere poterunt, ut ars Medica non ſit tota conjecturalis. Hoc perficient potius, ut à conjecturis, in vagas & ancipites contentiones dilabatur, inde in nihilum recidat: ſintque Medici deinceps omnibus cerdonibus irriſui, ac veterinariis multo deteriores. Verum poſterior ætas Medicamenta reperit, veteribus longe præſtantiora. Rhabarbarum, Sennam, Caſſiam, & ne ſuam Hermeticis ſurripere laudem videar, ſpiritus, Elixiria, Sales, Elateria, ϑῆα, Cryſtallos, Entia, Eſſentias, & ejus generis innumera, quorum nomina ne Hippocrates quidem tam ſapiens fuit, ut cognoſceret. Fateor. Sunt vero etiam quæ quod ſingulari

lari quadam facultate, morbos depellere putentur, ſpecifica nominaverunt. Et iſtud quoque concedo. Sed quid tum? Nego enim in quoquam illorum, tam certam & nunquam fallacem ineſſe vim, ut ullum omnino morbum, ſemper & quocumque loco, & ab quovis ægro exterminet. Quod ſi eſſet, Deus bone! quam divites; divites? imo, quam divini forent Medici? adorarentur, Mehercules, & in omnibus compitis, aræ ipſis ponerentur, thure ſemper fumantes. Ne Hermitica quidem, quæ tanta cum laude celebrantur, utiliter adhiberi poſſunt, niſi ſecundum antiquæ doctrinæ placita. Nam ſi Diaphoreticum aut Emeticum, aut Elaterium vehemens die critico, vel morbo vigente propinabitur: næ

peri-

periculum ſummum erit, ne ante diem ad interitum æger impellatur. Poſtremo velimus nolimus ab hac vita migrandum eſt, & undecumque remedia petamus, nos non efficient immortales. Verumtamen adhibenda ſunt, quoniam ſic à Deo conſtitutum eſt; ne nos abjeciſſe & ad ſpontaneam necem ultro præcipitâſſe videamur. Sed quorſum, tantum præfationis, ſcilicet ut intelligant Lectores, quæ me cauſæ moverunt, ut ſecundum Antiquorum doctrinam ſcribens, parcè admodum, nova hodiernorum dogmata attingerem. Quos quoniam in ſua ſententia ſino; oratos velim, mihi quoque viciſſim permittant, meis contentum ſtudiis, tantum ex alienis ſumere, quantum probandum judicem, quantumque ſatis fiet, ad vetera

tera placita, quæ ſequor, vel confirmanda vel exornanda.

Pallas quas condidit arces
Ipſa colat, nobis placeant ante omnia ſylvæ;
Torva leæna lupum ſequitur, lupus ipſe capellam,
Florentem cytiſum ſequitur laſciva capella;
Te Corydon, O Alexi; Trahit ſua quemque voluptas.

Proœmium.

EST profectò, eritque semper, cur summas hanc immensitatem rerum administranti Providentiæ gratias habeamus; cùm alias ob causas, tum quòd singulis ætatibus excellentes in unoquoque doctrinæ genere viros extare voluit, quos sequutura longo ordine posteritas, principes agnosceret; & in quos, tanquam in absolutissima exemplaria, cum aliquid egregium præstare vellet, intueretur. *Homerum*, *Pindarum*, *Virgilium*, *Ovidium*, ne Tragicos commemorem *Sophoclem* & *Euripidem* & *Senecam*, Poetæ, velut artis, suæ Magistros, observant. In Mathematicis & Geometricis, *Archimedes* & *Euclides* excelluere. Oratorum & Rhetorum antesignani, *Demosthenes*, & *Cicero* & *Lysias*, & *Aristoteles* & *Isocrates* & *Quintilianus* exstiterunt. At in Philosophia, quis cum *Platone*, cum *Socrate*, cum *Aristotele*, cum *Seneca* conferendus? Nam de scientiarum dominatrice Theologia, mihil hic, propter summam veneerationem, dicere audeo; in qua *Nazianzeni*

Basilii, Chrisostomi, Augustini, Hieronymi, Bernardi, Aquinates, mirifici fuere. In Medicis quidem certè, quam artem ad mortalium salutem divinitùs repertam esse omnes confitentur, nemo est, qui minimam partem, Hippocraticæ excellentiæ, ulla industria, ullo studio, ulla conventione consequi possit. Scio equidem nonnullos posteriori hac ætate, eo processisse vanitatis ut se ea intellexisse jactitarent, quæ nunquam viderit *Hippocrates*; quos ego tanquam parùm modestè sentientes cum bona pace dimittendos esse sine responsione censeo. Neque tamen non in eâ sum opinione complures superiori sæculo, præstantis ingenii viros exortos esse, quorum industria in illustrandis *Hippocratis* monimentis magna cum laude versata sit. Inter quos, *Duretus* & *Hollerius* & *Heurnius* & *Fernelius* & *Severtus* & *Platerus* ordines duxere. Quare ego cum iam indè à principio studiorum meorum non segniter in veterum monimentis versatus essem, incredibili quodam *Hippocraticæ* disciplinæ admiratione captus omnes in id unum, ingenii mei vires contuli, ut me ad illius excellentis ac pene divini senis imaginem efformarem. Cujus præclara documenta, quamdiu in faciendâ medicinâ sequutus sum, nunquam in irritum mei conatus cecidere. Enimvero nihil est eius doctrinâ rutius ac certius: nihil ægro, qui ex illius præceptis curatur, salutarius: nihil honorificentius Medico, qui eadem in curandis ægris cum judicio sequitur. Nam ejus libri præceptionesque, tam divinâ sapientiâ refertæ sunt,

sunt, ut eas sequens errare nemo possit. Proinde ab eo omnis Empyrica temeritas; fortunes mercenarii luen: præcipitati judicii audax & cæca impudentia, & impostura circumforaneæ jactantiæ. Considerare & suspensè agi vult omnia, quippe cum incerti sint morborum eventus: expertem avaritiæ cupit esse Medicum; nam eundem & Philosophum dicit esse oportere: sedati, maturi, altique judicii; cùm sæpe fallacis naturæ impetus vel prudentissimis & in arte versatissimis imponat: modestum denique & omnia prudè consulentem, quo majorem apud ægrotos & fidem & autoritatem obtineat: postremo naturæ rerum intelligentem, & aërem solumque & aquas, & potius regionum & hominum varietates cognoscat mores. Ac etiam ea de re libellum sanè perdoctum scripsit. In quem ego libellum cum nuper incidissem, evolvi cum studio; deinde pertentatus sum, num & aliquid de hac Insula, commentari ac literis tradere possem; in qua jam aliquot annos Medicinam haud improsperè factitâssem: & in qua reperissem morbos longè dissimiles iis quibus Galli, Italique conflictantur. Id quod non solùm diversæ vivendi rationi, sed etiam partim solo, partim cœlo, tribuendum arbitrabar: statuebamque nihil priùs agendum prudenti Medico, statim ut in civitatem aut regionem incognitam sibi veniret, quàm ut ejus situm diligenter inspiceret, & quibus ventis perflaretur, quibus irrigaretur aquis, & qua uteretur cœli temperie: quibus alimentis qui-

bus moribus, investigaret. Atque id à divino sene in eo libro præscriptum est, his fere verbis. ὥστε ἐς πόλιν ἔπειδαν ἀφίκηται τις ἧς ἄπειρός ἐστι διαφροντίσαι χρὴ τὴν θέσιν αὐτέης, ὅκως κέεται καὶ πρὸς τὰ πνεύματα καὶ πρὸς τὰς ἀνατολὰς τοῦ ἡλίου. Quod quidem quisquis in arte Medica rectè atque integrè versari cupit, inprimis studere debet, sicut in illius libri principio traditum reperitur. Hoc autem opus à me multas ob causas est institutum. Primum ut Medicam facultatem, id est, susceptam provinciam exornarem, deinde ut tyronibus viam medendi commonstrarem; denique ut Gallis cùm medicinam facientibus, tum qui Medicorum ope indigent, ostenderem, non simili ratione morbos hic gentium curari, quâ vel *Lutetiæ Parisiorum*, vel in aliis *Galliæ* locis curantur; quando longè absimilia sunt in utraque regione temperamenta. Nam illi, Mehercules, magno in errore versantur, qui sanguinis detractionem, tam crebram hic esse debere putant, quàm est Lutetiæ; quique aut levi Pharmaco depelli morbos posse credunt, aut persectas statis diebus expectant crises, aut denique exactissima diæta satisfactum iri edacibus arbitrantur: Certe nostri Galli si fors in morbum inciderunt, quicumque demum ille sit, aut clysterem inijci, aut detrahi sibi sanguinem postulant, idque fieri Lutetiæ dictitant; ac si Medicum accersiverint, volumus, inquiunt, nobiscum

biscum agas Lutetiano more. Quibus ego vicissim soleo respondere. Date mihi vos, cœlum, solumque & aquas *Parisienses*, & *Parisiensia* alimenta, & temperaturas & exercitationes, atque *Parisienses* vos more curabo. Quid? jamne illud *Lutetiæ Parisiorum* inolevit, ut ægroti leges ferant Medicis, non ab ipsis accipiant? Nunquam eum ego morem vidi, tametsi *Parisii* ab ineunte adolescentia studiis operam dederim. Hunc nostratium errorem fovent etiam, si diis placet, vulgares Medicastri qui huc subinde veniunt, minime illud *Hippocraticum* intelligentes: ἀστὸν δὲ πᾶσι καὶ τῇ ὥρῃ, καὶ τῇ χώρῃ· καὶ τῇ ἡλικίῃ καὶ τῷ ἔθει· neque hoc alterum considerantes. ὁ γὰρ τόπος δύναται ἡ πόλις ἥτις πρὸς βορέην κεῖται, καὶ ἥτις πρὸς νότον· καὶ ἥτις πρὸς ἥλιον ἀνίσχοντα καὶ ἥτις πρὸς δυόμενα. Sed illi nimirum plausum quærentes, ægrotos ambitiose visant, & se insinuant in eorum gratiam, eâ maximè pollicitatione, quod eos novo plane & *Parisiensi* more modoque curaturi sint. Scilicet quemadmodum Parisiensem & aulicam vestem omnes Urbani probant usurpantque, sic deinceps & medendi ratio erit ad eundem modum Instituenda? Quis autem dubitet, quin novo quoque & aulico more multi mortalium ante diem à delicatulis illis & venustulis Medicastris ad interitum præcipites depellantur. In vestibus quidem

dem, in sermone, in congressibus, aulicam & elegantiam & mundiciem & humanitatem, quin exprimamus haud recuso cæterum in curandis morbis priscam & Hippocraticam doctrinam cum judicio delectuque & habito locorum & temporum & hominum ratione sequendam & usque retinendam censeo. Et cur ita censeam multis ac magnis rationibus inductus sum ac illustrium virorum autoritate cómotus; quos ego libenter hic honoris causa nominarem responderemque contrà sentientium opinioni si non id esset, ab eo quod mihi propositum est, alienum. Dico igitur incurandis morbis habendam esse locorum & tempestatum & hominum rationem. Mutationes enim varias morbi subeunt: & quemadmodum tempestates & ætates & regiones jam salubres jam insalubres, jam neutræ sunt, aut in alterutrius confinio positæ: haud absimili ratione, morborum alios salutares, quosdam prorsus exitiabiles, plerosque plane dubios & ancipites esse longa experientiâ usuque comprobatum est: semper vero cœli solique & ætatis sequi temperiem & easdem pati vicissitudines. Idque non in patriis solum & vernaculis, qui cuique genti singulares habentur: verum etiam in communibus, quorum est magna pro vario regionum positu vivendique ratione diversitas, ab iis qui apud exteras nationes aliquamdiu peregrinati sunt, quotidiè cernitur. ἅμα γὰρ, τοῖσιν ὥρησιν καὶ αἱ κοιλίαι μεταβάλλουσιν τοῖσιν ἀνθρώποισιν ut est à Coo Præceptore præclarè dictum

Un-

Unde necesse est consequi, ut ij qui regionum & tempestatum & hominum considerationem in administranda Medicina negligunt, magna in cœcitate versantes perperam & ausu temerario multa faciant, pluribusque perniciem quàm salutem afferant. Quod si qui periculo eximantur, cum id sit propitiâ Fortunâ & quadam naturæ bonitate potiùs, quam arte ulla; tum ij demum lente & non absque magno metu convalescunt. Ego profectò semper in ea fui sententia, ut existimatem consultiùs facturos ægros, si sese totos naturæ sapienti committant, quàm imperitis & audacibus blatteronibus, circulatoribus & agyrtis jugulandos tradant. Nam sequentibus naturam optimam ducem, multa semper salutis spes est: contra circumforaneis se curandos dantes, & in incerto præcipitique versari & per multiplicia discrimina evadere, aut quasi belluam uno vehementis & lethiferi medicaminis ictu mactari, summo circumsedentium horrore plerumque contingit. Neque tamen aliorum damno sapere discunt stulti mortales ac ne suo quidem. Et nescio quonam fato fit ut cuicumque se Medicum in foris & circulis & triviis profitenti statim credatur imo etiam magis quò id vocaliùs & clamosiùs & impudentiùs mentitus erit, cum sit periculum in nullo mendacio majus; docti vero per diuturnos labores, multasque vigilias & longas peregrinationes atque longinquas, in quiete & silentio & tenebris obsolescere sinantur: credo quia rarò & non nisi modestè de se loquuntur nec se vulgo venditant: &

quia dubios morborum eventus cognoscentes, non nisi considerate & deliberate omnia faciunt, nihil temere pollicentes. Ubique vero genuum, non solum urbes & vici & fora agyrtarum plena sunt: sed innumerabilem quoque *Juvenum* imberbium multitudinem videas qui non imbuti politiori litteratura, ac ne Philosophiæ quidem rudimentis instituti, vixque degustatâ primoribus labris Grammaticâ se in Medicam Scholam obtrudunt; ubi cum aliquot lectiones nec eas satis intellectas quasi per transennam audiverint; tum non verentur illotas & profanas ad tractandam Medicinam manus admovere. Dicam mehercules, sed invitus, & magna ipsorum confusione dicam: veniunt illi in Academiam tanquam canes ad Nilum; properanter lambunt & fugiunt. Ac vix dum inde digressi inflatis buccis crepant inusitatæ cujusdam doctrinæ somnia; demum eò progrediuntur impudentiæ, ut clarorum virorum luminibus obstruere se posse credant. Quod si qui forte fortuna domo pedem aliquanto longius extulerint, aut in aliqua navi fuerint, aut quod summum est, *Galliæ* verbi gratia vel *Hispaniæ* oras legerint, tum, ô dii immortales! quam immane spirant, adeo ut eos quanta quanta est, sua jam patria non capiat. Conclamant audaci voce se longinquas nationes diu multumque peragrâsse, ubi miranda viderint; & tamen quid morborum domi gignantur, aut unde venti perflent, penitus ignorant. Utinam vero docere vellent. Neque hæc eo dico quod permultos ingenuorum Juvenum

rerum, à perdiſcenda Medicina penitus eos velim; ſed quod illos audaces & petulantis frontis, vehementi objurgatione dignos, hos vero modeſtos & induſtrios leni & amica oratione, monendos cenſeam, ne in eoſdem ſcopulos impingant. Certè enim humanorum literarum, & ſcientiæ naturalis alta jacere fundamenta debent, tum demum accedent, atque admittentur ad ſacra Medicinæ percipienda. Cujus poſteaquam erunt myſteriis rite initiati; ſecuri calumniarum auxiliares manus ad invocantes ægros porrigent; non adeo tamen confidenter, quin aliquem tenem eligant, quem ſectentur & cujus veſtigiis inſiſtant. Quod ubi aliquamdiu factitaverint, jam licebit ut fauſtis avibus ad exteras nationes proficiſcantur, unde poſtliminio redeant, multiplici doctrina & varia rerum obſervatione decorati. Domi enim antea præparandus eſt animus Juvenum, quam ad alias gentes emittantur, alioquin plus inde nugarum, quàm ſolidæ virtutis reportaturi videntur eſſe. *Angliæ* quidem, ut verum fatear, haud deeſt, ex quo abundè viri juxta ac juvenes erudiantur.

DE AERE LOCIS & AQUIS TERRÆ ANGLIÆ.

Anglia lau.

NAM ut jam tandem ad propositum aggrediar, est *Britannia* omnium amplissima Insularum quæ ad *Europam* jacent, quæque nomen Orbis alterius ob magnitudinem apud veteres obtinuit, dives opum omnis generis, egregiorum virorum & elegantissimarum Fœminarum ferax; clara *Græcis*, clara *Latinis* monimentis, ac nunc quidem omnium gentium literis ac sermonibus celebrata. De hujus igitur Insulæ positione, de ventis quibus perflatur, de aquis & fluminibus & fontibus quibus irrigatur, de vivendi modo quo Insulares utuntur, postremo de morbis quibus ut plurimum infestantur, meo more dicturus sum, id est non ut Geometræ qui singul-

Propositum Authoris.

singulos pedes admetiuntur, neque ut Astrologi qui ad syderum motus & influxus omnia referunt: nec item ut naturæ quorum omnis in ventorum nominibus & regionibus semo versatur; non denique sicut milites & Reipub. administri, quibus omnis est in castris munitionibusque & hominum moribus examinandis labos: at quemadmodum non imperitum rei Medicæ decet, & quantum satis esse videatur ad morborum curationem cum judicio suscepiam, tuto circò, jucundeque perficiendam. Ac forsassis olim evenier cum aut ego factus prudentior uberius scribam, aut certe aliquis meo exemplo incitatus eadem haud paulò doctius tractabit.

Variis ea nominibus appellata est Insula. Nam & Albion antiquitus dicta est, à rupium candore quæ procul navigantibus apparent; & *Britannia* quasi Pictorum regio, propterea quod vario pingere corpora colore solili essent incolæ: & *Anglia* ab *Anglis Germaniæ* populis, quorum in eam Insulam, magnam confluxisse multitudinem, ac pulsis indigenis, sedes ibi fixisse, priscarum Historiarum memoriæ proditum est. Eius forma triangularis esse perhibetur quemadmodum *Sicilia*; sed quàm *Sicilia* multo est oportestior. Nam longitudinis obtinet à *Tarvidi* promontorio, *Dubrin* usque, milliaria Germanica circiter centum & quinquaginta. Septuaginta vero, non amplius extenditur, qua latissima est, inter

Anglia nomina situs & magnitudo.

inter *Dubrim* & *Bolerium* itidem promontorium. *Angulorum* autem in quos se cuneat, unus ad septem triones spectat, qua vastum & apertum est mare, nullis contra terris, nisi quodam immenso spatio dissitis: alter *Belga* & *Rheni* ostia prospectat; tertius in *Hispaniam* vergit. Et quà Sol est Oriens, id latus veter *Germaniæ* obtenditur, quà Meridies, obversatur *Galliæ*: denique adversam habet *Hiberniam*, qua Sol occidit. Oceano circumundique proluitur: *Hibernico* ab occasu, ab ortu *Germanico*: *Britannico* à Meridie, ubi fretum quoque *Gallicum* est inter *Dubrin* & *Bononiam* denique à Septemtrionalibus *Caledonico*. Quod si tota Insula universim considererur, habita *Galliæ Hispaniæque* & *Italiæ* ratione, sita ad septemtrionalem plagam esse videbitur. Minus est tamen quàm *Norvagia* septemtrionalis. Jacet ad septimam Mundi plagam sub *Arietis* signo, atque ut Astrologis placet, plurimum obtinet in eam Luna dominii. Id sidus cum & frigidum sit & variantis luminis, & terræ vicinum, maximas parit vicissitudines; & summam in commovendis, in quæ dominatur, corporibus habet potestatem: unde morum inconstantia, mutabilitasque tempestatum, nimborumque & frigoris incommoda. Atque is quidem est *Angliæ* positus, qua vero sit aeris temperie nunc inquiramus.

Opinio Arist. de aere.

AERA Peripatetici omnium elementorum esse humidissimum dixere. Ac divinus Interpres naturæ *Aristoteles* primo Meteorologicorum libro, eam quidem aeris partem

partem quæ circum terram est, subcalidam atque humidam affirmat esse: quæ vero superior ac cœlo vicinior est, calidiuris atque aridiuris esse participem. Ejus verba placet adscribere. ἀλλὰ δεῖ νοῆσαι τὸ λεγόμενον ὑπ' ἐμοῦ· τὸ μὲν περὶ τὴν γῆν οἷον ὑγρὸν καὶ θερμὸν εἶναι, διὰ τὸ ἀτμίζειν τε καὶ ἀναθυμιάσιν ἔχειν γῆς· τὸ δ' ὑπὲρ τοῦτο θερμὸν ἤδη καὶ ξηρόν· ἔστι καὶ ἀτμίδος μὲν φύσις ὑγρὸν καὶ θερμόν· ἀναθυμιάσεως δὲ θερμὸν καὶ ξηρόν. Quæ cum ita sint, mea quidem sententia optimum aerem omnis esse expertem qualitatis oportebit: optimo, bonitatis gradu proximum, qui minimè lædentibus qualitatibus erit præditus. Nocet autem aut prodest pro ventorum natura, à quibus agitatur, proque vaporum atque exhalationum quibus alitur, diversitate. Diversi vero vapores, exhalationes quoque diversæ sunt, secundum solorum & aquarum, ex quibus efferuntur, varietates. Sed nec aer aut optimus æque omnibus prodest, aut pessimus æque nocet omnibus. Est enim cum salubris tradit aliquos, queis insalubris erit adjumento: est contra, cum alios male salubris juvat, quibus nocumento foret salubris. Non igitur aer à Medico debet simpliciter & absolutè contiderari; sed quoque natura hominumque temperies, simul cum aliis adjunctis in

Aer quis optimus?

eandem

eandem contemplationem advocandæ sunt. Quod si ex fœcunda lætaque rerum omnium productione, possumus de aeris bonitate ferre sententiam? profecto *Britanniam* aere sui longe optimo confitendum est. Nam omnia illic grandiori nitidiorique formâ prognata benignius fovet alitque tellus, quàm alibi locorum ubi videtur aer esse salubrior. Non enim mulieres modo numerosâ beatas, pulchraque sobole cernas: sed reliqua etiam animantia multiplici fœtu usque renascentia cum admiratione perspicias. Illic boves enormi magnitudine, illic equi cum formosi, tum pernicissimi, illic canum ingentium & immani rictu formidandorum magna vis: illic denique cum virorum tum fœminarum adspectabilis & erecta decoraque species, summo cum voluptatis sensu visitur. Colores floridus, læta frons, vivaces oculi, subflava promissaque cæsaries, totus habitus ad elegantiam compositus. Solum vero ipsum ubertimum, statis anni temporibus, omni bonorum genere ditat colonos, floribus, herbis, arboribus, frugibus. Laurus illic & rosmarinus instar magnarum arborum crescunt. Nec usquam fere gentium lætiora pascua. Quid hic fontium gelidas perennitates, liquores pellucidos amnium, floridam hortorum amœnitatem; montium ubertatem, pecorum multitudinem, omnesque ruris divitias commemorem? Quæ omnia profecto summam aeris clementiam arguunt. Nam quibus locis minus fœcunda terra est, iis locis haud

Anglia perelegans descriptio.

haud paullò ditiores, æris, plumbi, ſtanni ferri argentique venas, alto recondit ſinu. Nam margaritas quidem mare ipſum, ne quid infœcundum in ea Inſula ſit, tanta copia profert, ut jam olim *Julius Cæſar* thoracem Veneri genitrici ex *Britannicis* margaritis factum dedicaverit. Nec minus oræ littoraque grata ſunt partim munita ſaxis, ad quæ nativis teſtis inhærent piſces, partim ſtrata conchyliis aut arenis, in longas diducta planities. Fluminum etiam ripæ lætè germinant, & aut arboribus inumbrantur, aut veſtiuntur floribus. Ipſi vero amnes ſuaviſſimi guſtus piſcibus referti ſunt. Sol, medius fidius, Sol, caloris atque luminis principium, & animantium genitor, lætis quam diutiſſime poteſt oculis *Britanniam* intuetur, ac radiis non magis illuſtrat, quam fœcundam facit. Et enim æſtate quidem quàm longiſſime producit diem, qui ferme decem ac ſeptem horarum eſt: hyeme vero cum alter ei luſtrandus eſt orbis, quaſi invitus avertens curſum ſeptem horarum cum breviſſima eſt dies, mo am facit. Quæ me incredibili cum jucunditate contemplantem facile impellebant ut crederem, nullibi regionum aerem quam in magna *Britannia*, ſalubriorem eſſe poſſe. Sed cum incolas viderem longis ac difficilibus & ſæpe contagioſis morbis adfligi, miſerandumque in modum languere, fruſtra adhibitis omnis generis medicaminibus: cum ulcera febreſq; mali moris & alia id genus ma a, rara apud alias gentes, apud *Britannos* nativa & vernacula animadverterem, rurſus labefacta cadebat, quæ ani-

B

mo mihi præcepta erat de salubritate aeris opinio. Cujus rei causam investigandam esse duxi.

Aeri tantum ab Hippocrate tributum est, ut mortalibus vitæ, morborum autem ægrotis autorem esse pronuntiârit; imo etiam membris & motum & sapientiam præstare crediderit. Sic enim in libro de morbo sacro loquitur. ὁ δὲ ἐς τὰς φλέβας ἀὴρ ξυμβάλλεται ἐς τὰς κοιλιάς εἰσίων, καὶ ἐς τὴν ἐγκέφαλον, καὶ τοῦτο τὴν φρόνησιν, καὶ τὴν κίνησιν τοῖσι μέλεσι παρέχει. Et alio libro de flatibus hanc habet sententiã. Τοῖσι δ' αὖ θνητοῖσι οὗτος ἄιτιος τοῦτε βίου, καὶ τῶν νοσέων τοῖσι νοσέουσι. Ego quidem ægrotis morborum esse causam facile adducor ut arbitrer. Quippe infirmissima quæque, cœlo sunt obnoxia maxime. In universum autem Insulas insalubrioris esse cœli quam continentem, permultis probari documentis potest. Et quo longius in mari positæ à continente recessere, eo graviorem esse aerem constat, ob nebulas è mari evolutas, quæ vix, ac ne vix quidem à sole dissipantur. Idque non æstate solum, sed etiam hyeme, imo etiam magis. Nam tum aer tepescit ob solutas nives. Tepidus autem aer insalubrior. Immensis autem undabundi oceani campis undique *Britannia* circumdatur: nisi qua spectat *Hiberniam* aut *Galliam*: ea enim parte brevis sed æstuosus & confragosus, in continentem trajectus est. Ac longe etiam periculosior in Insulam *Hiberniam* cum ob saxo

&

& brevia, & scyrtes, tum ob æstuum reciprocationes, turbinosasque conflictantium undarum voragines. In *Anglia* certe coelum plerumque densum & obsitum nubibus, non modo cùm hyems est, verum æstate quoque media. Rara omnino illic serenitas. Fereque semper similis autumno tempestas est, aut brumalibus diebus. Vix enim aliquot dies sudum fuit, cum toto coelo pluit, mox squalor, repentina deinde pluvia in multos dies, cum aere gravi & suffocante. Quæ causa est multorum & diuturnorum morborum; autumnalium præsertim, quemadmodum deinceps ostendemus. Atque hæc quidem de *Britannia*, quantum assequi aliquot annorum experientia potuimus, universim esse intellecta volumus. Nam in eadem insula, aliis locis, alia longe salubriora sunt. Id quod haud dubitabili superiorum temporum, possumus experimento comprobare. Quibus quando pestis exitiabiliter *Londini* grassaretur, ferme ipsam Insulæ continentem non attigit, nisi quantum esset in ea *Londinum* & aliquot civitates, ad oram maris sitas, commercii. Qua montana & campestris est, ut in *Cambria*, ut in agro *Saroniensi* & quo longius à mari porrigitur simpliciori fruitur aere. Signum autem aeris obscurioris & gravioris, vocis raucitas, quod *Anglis* ferme commune est. Nam qui claro & acuto sono modulentur, illic paucos reperias. Nempe ut de *Thasianis* ait *Hippocrates*,

Vide A. Gellium noct. atticar. lib. 4. c. 9.

φθέγγονται

ἐθέγγονται βαρύτατον τῷ ἠέρι χρώμενοι οὐ λαμπρῷ ἀλλὰ χνιώδει τε καὶ ἀθερῷ. Id quod equidem non in eorum consumeliam dictum velim. Nam re vera neque in templis, neque in Scholis adeo vocales sunt & canori ut aut *Itali* aut *Franci*. Igitur pleraque anni pars *Britannis* nimbosa, sed præ cæteris hyems quandoque tamen & glacialis & maxime nivalis est. Vidimus aliquando tellurem obstrictam gelu, & nivibus obsitam in plures menses, & id non procul à mari solum; sed etiam in ipsis prope littoribus. Ac mihi nunc ista mense Maio scribenti videntur brumales dies; usque adeo denso & caliginoso aere circumfundor. Sunt enimvero qui haud absque ratione existiment, pendulis nubibus obscuratum aera, multo magis sanitati contrarium esse, quàm cùm toto cœlo ruunt nimbi. Aer corpus quidem est, sed adeo tenue ut visu percipi nequeat, quare candidus crassus est, infuscatus longe crassior, cæruleus omnium minime. Humidus, qualis nebulosus & pruinosus & nimbosus est, putredinis atque habetudinis parens. Nam quod aiunt humido aere refici, recreatique nativum in corporibus nostris humidum, vanum est; auget enim potius vim non naturalis, ac simul incommoda valetudinis adversæ fovet. De aeris autem *Anglicani* temperie melius judicare mea quidem sententia nemo potest, quam qui illuc ex *Hispania* aut *Italia*, aut editissimis *Gallia* partibus commigrant. Experiuntur enim in se ipsis singularem aliquam,

intra

intra paucos annos commutationem. Præsertim verò quibus splendida & sicca bilis est. Nam illi omnium optime in hac Insula degunt. Secundum eos, valde sanguinei; deinde Melancholici. Pituitosi & catarrhis obnoxii, deterrime. Contra qui ex *Anglia*, Phthisi & Scorbuto labotantes in *Galliam* proficiscuntur, ij ferme, hausto illinc aere puriori, convalescunt.

Nonne vides etiam cœli novitate, & aquarum
Tentari procul à Patria quicumque, domoque
Adveniunt, ideo quia longe discrepitat res?
Nam quid Britannis cœlum differre putamus,
Et quod in Ægypto 'st qua mundi claudicat axis?
Quidve quod in Ponto 'st differre à Gadibus, atq;
Usque ad nigra virum, percoctaque secla colore?
Quæ cum quatuor inter se diversa videmus,
Quatuor à ventis & cœli partibus esse
Tum color & facies hominum distare videntur
Largiter & morbi generatim sæcla tenere.

Quamobrem vitæ valetudinisque nostræ summopere interest, ut optimo, id est, temperamentis nostris maxime conducibili aere perfruamur. Quoniam ut eximie docet *Hippocrates* μέγιστός ἐστιν ἐν ἅπασι τῶν συμπτωμάτων δυνάστης.

Jam venti quantopere ad aeris salubritatem conferant nemo mediocriter in naturæ cognitione versatus nescit. De quorum natura atque origine, perinde ut de re prorsus admirabili & arcana Regius vates dicit: *Quibedu-*

eit ventos de theſauris ſuis: Et ipſe hominum Salvator *Ieſus Chriſtus*, *Spiritus*, inquit ad *Nicodemum*, *ubi vult ſpirat, ſed neſcis unde venit, aut quo vadit.* Quæ verba ſapientiſſimi Theologi multò aliter interpretantur. Sed de his non eſt noſtri inſtituti diſputare. Hippocrates quidem certe, cujus in re Medica ſcientiæ tantum tribuendum puto, quantum nemini fortaſſe mortalium: Ventum ait eſſe undam & fluxum aeris ἄνεμος γάρ ἐστιν ἠέρος ῥεῦμα καὶ χεῦμα. Re vera videmus quemadmodum agitatus aer conturbet omnia infra ſe & circum ſe poſita. Quo impetu, quo turbine, qua tempeſtate, quo ſonitu, quo fragore domos quatiat, exſtirpet arbores, ſata convellat, ſuſque deque convolvat, converrat; maria, & vaſtos ad cœlum tollat fluctus, videmus. At acutus *Ariſtoteles*, in libro quem de metereologicis inſcripſit, ex tenuibus ac ſubtilibus quibuſdam fumis qui è terra & aquis exhalantur conflati ventos oſtendit. Quod ſi ita eſt, haud magno negotio naturam atque temperiem ventorum aſſequi poterimus. Nam ſine dubio tales erunt; qualia ſola & aquæ ex quibus orientur; qualia item loca & regiones & unde efflabunt & qua perflabunt. Magna certe *Britannia*, cùm omnibus ventis perflatur, tum maxime in ea regnant Auſtrales & Septemtrionales. Qua hyperboreo alluitur Oceano, frigidis & humidis, maximeque procelloſis ventis agitatur. Interdum verò æſtate, ſubſolano leniter & jucunde recreatur, idque ante meridianis horis. Nam ferme ſub Meridiem concreſcit aer ac ſitu nubium inquinatur.

quinatur. Quantum quidem ad me attinet, nihil aquilone expertus ſum inſalubrius. Nam ubicumque locorum in hac Inſula verſatus ſum, ſi contigit cubiculi mei feneſtram ei vento obverſam fuiſſe, perpetua fere gravedine & raucitate laboravi; erraticis quoque febribus ſæpe, ſed non diuturnis, credo ob exactiſſimam temperantiam. Maximam hyemis partem *Circius* & *Traſcias* dominantur, aut *Libanotes* & *Euroafricus* quorum hi perhumentem ac ſuffocantem efficiunt tempeſtatem; illi perfrigidam & caliginoſam & nivalem. Non ita multum tonat, fulminat raro: fulgurat quandoque adeo, ut inceſſum fulgure, filicum & myricarum cumulum ſuperiori æſtate in Devonia viderim; conceptis ex magna fulgetri conuſcatione flammis. Et quoniam in fulgurum fulgetrorumque incidi mentionem: Rem narrabo paullum quidem à propoſito remoram; ſed tamen dignam Philoſophica diſquiſitione, dignam contemplatione Theologica; dignam quæ poſteritatis memoriæ commendetur, dignam quæ ab exteris quoque nationibus, cognoſcatur. *Landuni* evenit, quod municipium eſt ſane elegans in *Armorica Galliæ* provincia, ad oram maris amœno, commodoque ſitum loco. Sive forte fortuna; ſive animi, ſeu officii gratia, duo Municipes honeſti ſane viri in agrum exeuntes, in quendam nobilem familiaritatis & amicitiæ iure conjunctum inciderant, & cum eo ſphæra luſerant, auſcitis aliquot ſociis. Poſt luſum, ut fit, ad merendam itum eſt, inde ambulatum, luſumque rurſus. Poſtea

cœnatum

cœnatum adeo genialiter & hilariter, ut nemini tamen nimio potu ratio vacillaret. Denique nocte jam appellente, aliis quidem in Municipium reversis, duo Municipes rura manere apud amicum. Ibi lectis constratis antequam se somno darent in genua procumbentes sicuti probis Christianis mos est, enixis precibus Deo se commendabant; cum interim ille alter detractis propere vestibus, è vestigio medium in lectum se conjecit, dicteriis insuper amicum sociorum superstitionem insectans. Sed sua ei dicacitas magno constitit. Nam vix hospites in lecto se composuerant, cum ille horrenda voce exclamat se incendi. Re autem verâ pectus ei barbaque conceptis repente flammis ardere cœpit adeo, ut indusii parte in cineres redacta, pectoreque & mento ustulatis, vix restingui flamma posset. Ac sine dubio totus conflagrasset, nisi quibuscumque fieri potuit modis subventum foret. Vidi egomet hominem postea, cœlestis iræ (sic enim mihi persuasum est) vestigia, ambusto sinu facieque præferentem. Et percuriose scisciatus, num tonuisset, num fulgurâsset, num cubiculum, ad aratum recenter agrum, aut ad sepulchretum aliquod apertum esset, num aut ignis aut candela illata esset; nihil horum reperi. Cæterum media id æstate factum est, quæ tum erat æstu flagrantissima. Sed ejus infortunii causas, si quæ naturales exstitere, Philosophis disquirendas relinquens ad propositum revertor. De terræ motu, nunquam in *Magna Britannia* audivisse, legisse quidem rem insignem memini. Nempe tantum

tum ac tam repentinum aliquando exortum esse, ut collis complanatus, spatiaque per circumjacentes agros humus una nocte fuerit. Cur autem infrequentes admodum terræ motus fiant causam arbitror, quod insula minimè cavernosa sit; & qua cavernæ sunt, illinc magna copia scaturiant aquarum fontes.

Jam enim ut ad aquas veniam, quoniam de aere ventisque satis quidem ad instituti operis rationem dictum est: *Anglia* cum eruptionibus fontium, abundanter irrigatur; tum magnis alluitur fluminibus quorum maxime illustres sunt *Thamisis* & *Sabrina*. Ac *Thamisis* quidem duorum amnium aquas, suo admittit alveo, *Thamesis* nimirum & *Isis*, & ex amborum confluentibus nomen accipit. Confluunt autem paullò supra *Londinum* & infra *Oxoniam*. Nam Isis placidissimas leni cursu volvens aquas, illius Collegii quod *Oxoniæ*, sub D. *Magdalenæ* nomine consecratum olim est à purpurato *Wolsio*, lambit muros. Ilea deinde magnorum capax navigiorum *Thamis*, superbientibus admiscet undis & inde nomen amplificat. Et quoniam molli flumine sensim nos deduxit *Oxoniensis Academiæ laus*, piaculum est eam Civitatem insalutaram dimittere, quas *Britannicas Athenas* nominare jure possumus. In ea est toto celebris orbe *Academia*, Musarum sedes, ingenuarum artium domicilium, *Britannicæ* Reipublicæ seminarium, Insulæ Oceano imperantis lumen & ornamentum

De fluminibus & aquis Anglicanis.

namentum. In ea præter amplæ & magnificæ structuræ collegia amphitheatrum est *Anatomicis* destinatum spectaculis superbo sane opere, monimentum ingens *Gilbertianæ* magnificentiæ. *Gilbertus* enim *Britannicarum Athenarum* Moderator, ac summus *Anglicanæ* religionis & cœremoniarum *Antistes* id amphitheatrum exædificavit, animo prorsus regio, magno sumptu; famâ, si non vecors sit posteritas, perpetuò duraturo. In eam Academiam trium Regnorum soboles, flos juventutis, spes nobilissimarum familiarum confluit, omnibus imbuenda doctrinis, & omnibus virtutibus innutrienda. Ibi enim oracula sapientiæ funduntur. Ibi patent divæ *Thermidos* templa. Ibi *Æsculapii* sacrarium aditur. Ibi veterum Philosophorum placita explicantur. Ibi panditur ad honorem & immortalitatem via. Liber autem in his amœnissimis Musarum hortis paululum immorari. In quibus cum multa meos oblectant oculos, tum nonnulla sunt quæ animo displicent. Ex magnificis illis structuris, non possum quin magnam capiam voluptatem: ac me porticuum laxitas, Xystorum umbracula, varietas librorum mirificè recreant; sed vellem tot ac tam opulentos Musarum alumnos liberalius cum suis nutricibus agere. Utinam ne tantum & Libero Patri, & *Cypriæ* genitrici. Sed reprimam me, & ad flumina redibo. Igitur *Sabrina, Silures* & *Cambros* ab *Anglia* disterminans peninsulam efficit. In ipsa *Cambria, Cotius, Tobius, Tibius, Guilius*, quâ feruntur, maximè fœcundant solum

&

& amœnam efficiunt regionem. At parte ex alia *Tueda* & *Solvetus Angliam* secernunt à *Scotia*. Aliis quoque amnibus irrigatur obscurioris nominis, de quibus nihil attinet hoc quidem loco dicere. Sunt ubique ferme læte fontium scaturigines, ac subitis rapidisque torrentibus *Cambria* intersecatur, maximè hyeme, & ubi vel toto æthere cadunt nimbi vel nives liquantur. Est verò Paludosa etiam multis locis, & stagnantibus atque tetris & cœnosis aquis obsita. Id quod alibi salutiferis & calentibus balineis, alibi Medicis fontibus compensatur. Aquarum certe magna necessitas magnaque commoditas est, non solum ad conservandam valetudinem in potu cibisque parandis, ut entibus: sed etiam cùm morbis conflictantur ad medicandum adhibentibus. Nam si graves, acres, gelidæ, corruptæ sint, innumeros pariunt morbos eosdemque sanatu difficillimos. Id mirum suo malo sciunt, qui ad Pyrenæos & Alpinos montes accolunt, quorum plerique inflato gutture sunt, & strumosis cervicibus (id mali *Bronchocelen* & *Scrophulas* sive strumas appellamus, *Angli* sua lingua KINGS EVIL id est regium malum) ob frigidissimarum aquarum potionem. Interest igitur cujusque loci Incolarum; optimis aquis ipsorum solum irrigari: sed tum maxime optabile est, cum Vinetis destituuntur. Fontes autem fluminibus habentur salubriores præsertim in *Anglia*. Nam nisi quà propius à fonte manant, potui sunt inutilia: non modo quia lutulentis inquinantur torrentibus, & nivibus eliquatis,

namentum. In ea præter amplæ & magnificæ structuræ collegia amphitheatrum est *Anatomicis* destinatum spectaculis superbo sane opere, monimentum ingens *Gilbertianæ* magnificentiæ. *Gilbertus* enim *Britannicarum Athenarum* Moderator, ac summus *Anglicanæ* religionis & cœremoniarum *Antistes* id amphitheatrum exædificavit, animo prorsus regio, magno sumptu; famâ, si non vecors sit posteritas, perpetuò duraturo. In eam Academiam trium Regnorum soboles, flos juventutis, spes nobilissimarum familiarum confluit, omnibus imbuenda doctrinis, & omnibus virtutibus innutrienda. Ibi enim oraculo sapientiæ funduntur. Ibi parent divæ *Themidos* templa. Ibi *Æsculapii* sacrarium aditur. Ibi veterum Philosophorum placita explicantur. Ibi panditur ad honorem & immortalitatem via. Libet autem in his amœnissimis Musarum hortis paululum immorari. In quibus cum multa meos oblectant oculos, tum nonnulla sunt quæ animo displicent. Ex magnificis illis structuris, non possum quin magnam capiam voluptatem: ac me porticuum laxitas, Xystorum umbracula, varietas librorum mirifice recreant; sed vellem tot ac tam opulentos Musarum alumnos liberalius cum suis nutricibus agere. Utinam ne tantum & Libero Patri, & *Cypriæ* genitrici. Sed reprimam me, & ad flumina redibo. Igitur *Sabrina, Silures* & *Cambros* ab *Anglia* disterminans peninsulam efficit. In ipsa *Cambria, Cotius, Tobius, Tibius, Guilius*, quâ feruntur, maxime fœcundant solum

&

& amœnam efficiunt regionem. At parte ex alia *Tueda* & *Solvetus Angham* secernunt à *Scotia*. Aliis quoque amnibus irrigatur obscurioris nominis, de quibus nihil attinet hoc quidem loco dicere. Sunt ubique ferme lætæ fontium scaturigines, ac subitis rapidisque torrentibus *Cambria* intersecatur, maximè hyeme, & ubi vel toto æthere cadunt nimbi vel nives liquantur. Est verò paludosa etiam multis locis, & stagnantibus atque tetris & cœnosis aquis obsita. Id quod alibi salutiferis & calentibus balineis, alibi Medicis fontibus compensatur. Aquarum certe magna necessitas magnaque commoditas est, non solum ad conservandam valetudinem in potu cibisque parandis, utentibus: sed etiam cùm morbis conflictantur ad medicandum adhibentibus. Nam si graves, acres, gelidæ, corruptæ sint, innumeros pariunt morbos eosdemque sanatu difficillimos. Id mirum suo malo sciunt, qui ad Pyrenæos & Alpinos montes accolunt, quorum plerique inflato gutture sunt, & strumosis cervicibus (id mali *Bronchocelen* & *Scrophulas* sive strumas appellamus, *Angli* sua lingua KING'S EVIL id est regium malum) ob frigidissimarum aquarum potionem. Interest igitur cujusque loci Incolarum; optimis aquis ipsorum solum irrigari: sed tum maxime optabile est, cum Vineris destituuntur. Fontes autem fluminibus habentur salubriores præsertim in *Anglia*. Nam nisi quà propius à fonte manant, potui sunt inutilia: non modo quia lutulentis inquinantur torrentibus, & nivibus eliquatis,

quæ magno impetu à montibus devolvuntur; verum etiam quod ampliſſimis in Oceanum feruntur oſtiis, & à marinis undis, quas illabente æſtu recipiunt, amarulentiâ quadam, & ſalſugine inficiuntur. Iſis limpidus fluit, & potui condiendiſque cibis idoneus eſt per ſe quidem; ſed tum eas utilitates maximam partem amittit, cum immiſcetur *Thamidi*, *Tobium* quòque *Meridionenſes* agros alluentem, quà minus profundus eſt, potui gratum & utilem ſcio & qua per arenas & ſaxa volvitur. Nam alibi turbulentus labitur & cœnoſus. Et quod hauſtâ ex illo aquâ *Zithum* conficitur, id longe jucundiſſimum atque ſaluberrimum expertus affirmo. Nam pleriſque *Angliæ* locis, turbida, craſſa & gravis cerviſia eſt: credo magis ob pravam aquarum qualitatem, quam quod hordeum haud ita recte paratum ſit. Nam ſunt qui in univerſum *Anglicanarum* aquarum potum non poſſunt commendare, propterea quod noxias eas & infuaves eſſe maxime *Londini* ſuo malo didicerunt. Quamquam & *Londini* ſuaves & potabiles reperiri conſtat. Verum tamen cum quidam è *Francia Iuvenis* magnæ & probitatis & pudicitiæ, vino aſſuetus *Londinum* appuliſſet magnopere que à cerviſiæ potu abhorreret, neque vinum quod inibi medicatum & multis corruptum modis plerumque bibitur, ferret: aqua uſus eſt aliquandiu, ingrati admodum ſaporis, & quaſi ferruginea: unde contigit ut intra menſes aliquot, ſcabie quadam haud ſecus ac lepra totum eius corpus deformaretur. Tum demum vero ad cerviſiam & eam tenuem

inco

meo ſuaſu ſe contulit, & ut æquum fuit, rejectis aquis, communi gentis potui inſuevit, & eſt integræ redditus ſanitati. Exiſtimo autem idcirco minus ſalubres in ea inſula aquas eſſe, quod illic aër fere ſemper nubibus obductus ſit: fluminaque & fontes, non ita multum à ſole illuſtrentur. Nam quæ fontium ſcaturigines, & qui fluvii ſolis radiis illuſtrantur, eos & fontes & fluvios repurgatos, & leviores fieri nemo neſcit & potui cæteriſque humanis uſibus commodiores. Atque ea eſt Coi præceptoris doctrina. Τὰ ὕδατα ὁκόσα πρὸς τὰς τῦ ἡλίυ ἀνατολὰς ἐσι πάντα λαπρά τε εἶναι ἀνάγκη καὶ δώδη καὶ μαλακὴ καὶ ἐρᾴτεινα ἐγγίγνεθαι· ὁ γὰρ ἥλιος καυλύει ἀνίσχων καὶ καταλάμπτων, &c. In aquis autem *Cambriæ* apricis & editis locis, ſalubres admodum aquas reperi, ac eas probanti ſuccurrit Magni Magiſtri ſententia, ἄριστα δὲ ὕδατα ὁκόσα ἐν μετεώροισι χωρίοις καὶ λόφοισι γεωρῶν. De aquis vero ut univerſim dicamus: quemadmodum ventorum, ſic earum mihi imago eſſe naturam æſtimamus. Nam cum locis unde fluunt & quà fluunt, & tempeſtatem mutant, & variam habent utilitatem. Ex vaporibus denſis fieri credidit *Ariſtoteles*, eadem ſimilium qua nubes & pluviæ materia. Quippe vapores è terra ſublati, nubes: ſubterraneis clauſi cavernis fontes efficiunt. E fontibus

vero fluvios fieri non est perpetuum. Nam multi fontes sine fluviis; quamquam nulli fluvii, nisi manantes è fontibus; non enim enascuntur subito fluvii. Nec omnes aquas è mari duci crediderim: fontes enim ex deciduis & collectis imbribus fieri quid impedit? At neque mare, neque fontes, neque flumina, simplicia esse elementa inde constat, quod variis & saporibus & odoribus, & coloribus & facultatibus prædita sint; quas facultates ex primarum qualitatum oriri temperie docent Philosophi. Haud tamen adeo perfecta est ea commistio, atque temperies, ut cum ex elementorum classe exempta sint, ad perfectè mixtorum & temperatorum corporum ordinem transferri queant. Manent igitur ἐν τῇ τῶν μετρωλογικῶν τάξει. In mari dulces & alterius saporis quam ipsum est, scaturigines reperiri mirum; tamen & verum & mihi compertum. Dixi supra non semper ex fontibus effici fluvios: cum tamen fluvios è fontibus oriri necesse sit. Nam aqua collecta & emergens & exiliens, ea fons dicitur, quæ cum labitur, tum efficit fluvium. Non autem labuntur omnes fontes, non igitur omnes fontes producunt flumina. Ac duo sunt prope *Oxoniam* fontes, ad bibendum sane gratissimi leves & limpidi. Sed qui ad exorientem solem est, multo salubrior æstate præsertim. Nam hyeme, luto inquinatur nec à sole illustratur. Alter verò mihi videtur frigidior ac vivacior, & quan um experiri potui lædit intestina: nisi tum ex eo hauriat, cum sole meridiano collustratus est. *Bristolii* ad

oram

oram maris è rupe fons oritur, haud quidem idoneus usui quotidiano, sed ad sanandos morbos aptus; de quo quid mihi videatur antequam scribam, rem narrabo veram quæ mirifice ad propositum argumentum facit. Venit ad me consilii causa quidam *Hongarus*, cui cùm autor essem ut austero vino uteretur eoque & puro & pauco, respondit se esse abstemium, ac ne cervisiam quidem posse bibere. Cui ego: quid igitur, inquam, hic gentium bibis? Ea me res inquit, maxime torquet; nam aquas *Anglicanas* ingratissimas & summopere mihi noxias comperior. Stomachum vellicant & movent nauseam. Cui ego: utere, inquam, *Oxoniensibus* aquis eas ego potabiles neque nocivas affirmo. Ultus est, necessitate compulsus sed neque illas admodum probabat, dicitans haud patriis videri comparandas. Profecto sicut vinosi vinorum genera odore coloreque & sapore discernunt, sic qui aquæ potui assuevere. & præter cæteros abstemii, nullo negotio quid interesit inter aquas, & cujus sint loci non gustu modo sed etiam odoratu, coloreque percipiunt. *Oxonienſium* tamen fontium aquas si aliquid Indici mellis admisceatur longe gratissimas & omnium rota illa regione salubertimas esse judico. *Cornubienſes* & *Briſtolienſes* non item. Illas ob stanni & aliorum fossilium, quà præterlabuntur, adversas viscceribus qualitates, has quia duræ sunt & crudæ & graves. Quæ autem ex Vincentina rupe fluunt, eas expellendis calculis & intestinis infarctu liberandis esse utiles aiunt. Eas ego certe ferre non

porui, quod & vomitum mihi cierent, cujus admodum fum impatiens, & magna cum difficultate emingerentur. Acerbæ quoque gustu erant. Quæ ex rupe scaturiunt, ea perpulchra est; & adamantium aliquid habet simile. Reperiuntur magno ferri molimine excinduntur ex ea lapilli, qui expoliti arte gemmaria plurimum splendoris habent, & ab imperitis pro adamantibus æstimari possunt. Fons è saxi radicibus, exoritur adeo in ipso æstuario, ut reciprocantibus maris fluctibus operiatur, qui ubi retro cessere, fontis aquæ nullâ maris infectæ salsugine, pristinum, id est, subacerbum retinent saporem. Eas aquas cum ex ejusmodi saxo exiliant, difficile coqui necesse est: quare si non aut emingantur, aut vomitu rejiciantur, intestina torquere & hernias parere compertum est. Magna vero copia præscribi solent à Medicis, ut necesse sit subverti ventriculum: qui si valens sit nec ad vomendum facilis, post longam cervicem & laboriosam, qualis imperatur ab illis ambulationem, per vesicam evacuabuntur. Aquæ vero *Barnesis* non procul ab urbe *Londino* schistosis & lienosis, & qui viscerum æstu laborant, conducibiles esse perhibentur. Sunt in ea *Cambriæ* parte, quæ vergit ad septemtrionem, sunt in agro *Meridunensi* fontes, quorum aquæ & medentur oculis, & scabiem abluunt. *Tunbrigensis* quoque multis pollent virtutibus. Vidi in *Devonia* ferruginei & coloris & saporis. Sed nihil tota *Britannia* cum *Bathonienſibus Thermis* comparandum. Fervent illæ magno impetu erumpentes, & fumant adeo ut suppositum

positum ignem existimes. Non claræ, non limpidæ, non albæ & pellucentes sunt; sed subnigræ & crassiusculæ & returbidæ cum suapte natura, tum ob multitudinem adeuntium. Nam illuc omnis generis omnisque conditionis viri fœminæque, sanitatis, imo delitiarum causa, tota ex *Britannia* confluunt. Et cum ipsa Civitas pro gentis captu non est inelegans, tum ad commeantium populorum usum porticibus ornatæ balineæ sunt & conclavibus distinctæ sic, ut adeuntes pudori consulere & à nullo videri queant. In tres quasi Classes distributæ sunt. Nam calidæ quæ & regiæ appellantur primam faciunt classem, subtepidæ quas Regineas dicunt, alteram; tertiam jam pene frigidæ promiscuo vulgo destinatæ: & aliæ quoque quibus lepra infectos curari ferunt. Eas balineas paralysi languidis, arthritide distortis, convulsis & quibus torpent membra, & omnibus omnino frigidis affectionibus mederi constans fama est. Ego coli dolore cruciatis & lumborum, prodesse non dubitaverim. Sed tam æ tamque salutares hominum generi faculiares, unde emanent, qui enuntiaverit eum ego magnum *Apollinem* appellavero. Erunt qui ad astra vim omnem referant; erunt qui ad fossilia, chymicaque principia. Sed quæ tandem? salem? mercurium? sulphur? at neque sulphur, quantum quidem scio profert usquam *Anglia*. Neque sal nisi procul ab agro *Bathoniensi* effoditur. Ad bitumen fortassis? Sed ne id quidem passim sed uno tantum loco *Indit Author.*

eoque à thermis remotissimo scaturit. Ad lithanthraces certe? fieri potest. Sed cur in *Cambria* quæ lithanthracibus abundat, nusquam aquæ calidæ fumantesque reperiuntur? Cur vero circum *Bathoniam* unde scaturiunt thermæ, nihil effoditur ejus modi carbonum lapidibus similium. Quid ea de re sententiam scribam alias fortasse fusius, nunc vero sic statuo. Fontes esse ὥσπερ ἐντελέχειαν τίνα πρὸν στοιχείων quippe elementares virtutes contineri fontibus. Tametsi verò non negem per metalla manantes aquas, metallicam facultatem consequi, tamen quoniam nulla arte quidquam ejusmodi fontibus elici metalli plerumq; potest, inde est ut existimem inesse ipsis quiddam metallicum, δυνάμει μᾶλλον ἢ ἐνεργείᾳ. Propterea quod effectus habent similes iis qui ex metallis consequi solent. Id est Metallicos dici fontes, non tam à metallis ipsis quam à metallica facultate & virtute &, ut in scholis loquuntur, potentia. Idque eo magis quod sæpe neque per metalla fluunt, & sæpissime à metallicis quàm longissimè fluunt à quibus si quid contrahunt, id omne eluvarum amfractibus & saxorum atque arenarum salebris quasi quadam percolatione potest. *Bathonienses* autem balineas sulphurea præditas esse virtute constat cum ex caliditate colore, fumo, odore; tum ex effectibus. Reperiunturalii quoq; diversarum facultatum in *Britannia* fontes, de quibus longum foret disputare. Neque vero nos id hoc loco instituimus

ut de aquis enucleatim ageremus. Satis est indicâsse *Britannicas* aquas ad sanandos morbos, quàm ad communem potum esse utiliores.

De solo Anglicano.

Quæ quoniam unde à solo effluunt & quà præterfluunt, multas obtinet vires, reliquum est ut de *Britannico* solo dicamus tantum, quantum ad propositum argumentum facit. Quod quale sit ostendit pascuorum abundantia, copia segetum, arborum feracitas, & fere perpetua collium montiumque viriditas. Hæc omnia rursus aquarum ad eam fœcunditatem faciendam confluentium bonitatem demonstrant. Ergo *Britannicum* solum ferme pingue & tenax & udum & uliginosum est, quibusdam locis arenosum, aliis argillosum, ac tota fere devonia rubrum ac densum. At ubi restagnant aquæ, id quod permultis fit locis, putridum. Ex quibus vero locis ferrum & stannum & plumbum & anthraces effodiuntur, illic durum & nigrum, & infœcundum & siccum est. Alicubi gravem & maxime noxiam auram exhalans. In universum pastioni accommodatius quam arationi. Veneris vero prorsus inutile. Ac ne arbores quidem quamquam & late frondent & abundant fructibus, tamen eam obtinent in feracitate maturitatem, quæ omnem à fructibus acerbitatem tollat. Vix enim ullibi perfectè maturum fructum degustavi. Arbitror sæpe is densitatem, & nimiam soli humiditatem impedire quo minus maturescant. Facit quoque ea humiditas ut omnia illic animalia pinguedine distenta sint, nec ipsorum carnes

carnes tam grate ſapiant, quam aut in *Italia* aut in *Gallia Narbonenſi*. Quæ tamen in editis *Cambriæ* montibus paſcuntur haud tantæ molis ſunt, ſed ſaporis longe ſuavioris. Frumento omnis generis abundat, eoque perquam bono. Sed illius aſſervandi non par ubique ratio. Nam aliqui ſub tectis, plerique autem ſub dio illud coacervatum ſervant. Nec vero terra *Anglia* ubique ferendis & alendis arboribus benigna eſt. Nam vidi ubi neque creſcunt, neque aliunde tranſlatæ frondeſcunt; & ſi quæ frondibus ornantur, fructu carent. Vidi in quibuſdam montibus quæ una tantum parte frondes emittunt, altera prorſus aridæ: nimirum, quâ ventis maritimis verberantur; quos tanquam fugientes in aliam ſe partem incurvant, mari oppoſitam, cujus auram ſibi fatalem experiuntur & quaſi ſentiunt. Raros ſerpentes cujuſcumque generis profert, viperas autem nullas. Atque *Hibernia* quos alit bufones, ſerpentesve, eos eſſe ſine veneno comprobatum eſt. Ac de terra hactenus: cujus naturam intellexiſſe magis ad rem ruſticam, quam ad Medicam pertinet. Deinceps de moribus *Britannorum* diſputabimus. De quibus ſi vera dicta erunt, eos ut in bonam partem interpretentur oratos volumus.

Quod igitur ad corporis conſtitutionem ſpectat non ea deterrima utuntur, pingues ut plurimum & humidi, ſed qui nauticæ rei dediti ſunt, lacertoſi. De omnibus autem id affirmari ſine mendacio poteſt; tam impatientes otii quam laboris cupidos eſſe: ſemper autem

autem fuisse pugnacissimos ex antiquis ipsorum monimentis constat. Non ita facile iracundiæ motibus impelluntur. Sed cum semel flammam conceperunt irarum & inimicitiarum tenacissimi. Equidem quantum ex longa cum ipsis consuetudine animadvertere potui judicio pollent, nec in artibus cum ingenuis, tum illiberalibus sunt infœlices. In Memoria quidem exercenda non admodum anxii videntur esse, nam ex libro recitare non habetur apud ipsos indecorum. Et nolunt dies rerum, verbis inepte conterere. *Frances* imitantur, & blandum aliquid habent, sub ineuntis consuetudinis primordia. Jam vero plebecula sicut alibi gentium nisi quantum cultura & legum severitas facit, ferox & peregrinis atrox & infensa; non modo quod ab illis commercia perturbari atque opificiorum eripi sibi commoda persuasum habet, sed etiam ob antiqua nationum odia. Communis toti genti potus cervisia est ex hordeo, avena, vel etiam tritico confecta. Vinum etiam & francicum & hispanicum, sed maxime hispanicum amoris mensis bibunt. *Francico* vero distillato, quod aquam vitæ appellant, delectantur. Non aliter ferme obsonant quàm sacchato, id est, Indico melle, quod in cibis, inque pocillationibus usque usurpant. Bubula, suilla, ovilla, agnina vescuntur, elixis & tostis. Bellaria & secundas mensas vulgus ignorat, quæ præcipui nobilium habent in celtris. Nec jusculæ nec jurulentæ nec sorbitiones ægri sanive probant, nequeam frequenter legumina & herbacea mensis adhibent,

adhibent, quàm ſolent aliæ nationes. Cæterum mane jejuni adhuc, majoribus poculis *Zithum* ebibunt abluendo ut dictitant, ſtomacho. Sunt ad oram maris, quibus ſale conditus & ad ſolem duratus piſcis annona eſt, & quidem inſtar omnium cupediarum. Qui montana *Cambriæ* incolunt, caſeo, lacte, pane avenaceo atque hordaceo vivunt. *Hiberni* autem & *Scoti* durius niſi quos cum *Anglis* commercium ad manſuetum & civilem traduxit cultum. Gravitatem *Angli* conſtantiamque cunctis in rebus affectant. In morbis vero lacte & cerviſia temperant ſitim, liquores etiam ſtillatitios varii & ſaporis & coloris & odoris potitant. Statim à lacte *Zithum* aut merum poſcunt, fore enim alioquin ut jecur albeſcat ſi non quam primum ab aſſumpto lacte proluatur. Nunquam ita vehementi uruntur febre quin & eſitent & merum pocillent aut cerviſiam *Zinzibere*, cinnamomo & nuce miriſtica medicatam. Medicorum præſcriptionibus non obtemperant niſi quantum & ipſorum judicio conſentiant & genialì vitæ cui plurimum indulgent. Eſt quoddam apud ipſos hominum genus qui nunquam advocant Medicos. Id enim eſſe ſuperfluum. Nam ab æternitate decretum ac definitum unicuique vitæ ſpacium, quod proferri à Medicis nulla arte queat. Ergo cum in morbum incidunt decretum quoque, ipſos evaſuros aut interituros. Si interituri ſint, cui bono impenſas illas quæ in Medicos fiunt, quorum opis non eſt ab interitu revocare? Sin autem, priſtinam recuperaturi ſint valetudinem,

dinem, ne tum quidem opus esse Medicis sine quorum præscriptis suapte natura sint convalituri. Medicos autem, sive Doctores, sine ullo discrimine omnes appellant, quotquot aut medicatam potionem, aut emplastrum, aut quidvis medicaminis adhibent seu recte sive perperam. Verumtamen haud ea laus invidenda est *Angliæ* quam ex doctorum virorum quos semper genuit, consecuta est monimentis. Sunt adhuc in ea Insula præstantes doctrina viri qui Medici nominis dignitatem egregie sustinent. Et fuerunt qui dignis sempiterna memoria scriptis rem Medicam illustrârunt. Sed doctos raro plebs ad morborum curationem accersit. Mercatorum aliqui sæpe, plerique cum extrema urget necessitas, & id gravatè & coactè. Ergo solis nobilibus, salutarem excellentes Medici præbent & opem & operam. Neque tamen qui nobilium curam suscipiunt, ij semper è doctorum numero seliguntur. Juvat & ipsos nobiles, agyrtarum vanitatem & mulierculârum delinamenta sæpius quam aut prodest, aut decorum est, experiri. Postquam igitur & circulatores & anus morbum ac naturam perturbârunt, & jam in præcipiti versatur æger, tum itur ad Medicos, qui si non statim aliquid miraculi perpetraverint & ars & artifices, omnibus execrationibus dirisque devoventur. Quæ cum ita sint, cumque morborum principiis non adsint Medici, eos sæpe falli contingit, neque habere quid de morbo, deque ægro certi pronuntient. Et præterlapsis medendi temporibus viribusque labefactatis,

factatis, dènique toto naturæ ordine perverſo: eos aut vaticinari aut tumultuario agere, aut magna cum confuſione diſcedere neceſſe eſt. Si quid igitur ſucceſſerit, id ferè caſui & fortunæ, & temeritati potius quam aut prudentiæ aut rei Medicæ ſcientiæ tribuendum videtur. Quod ſi quis à vulgi conditione remotior ſtatim ut ægrotare cœpit, advocaverit Medicos; tamen ut eſt mos illius gentis, ſemper aliquid tranſvorſum fiet, quod ſi fortunate ceciderit, ut interdum evenit, tum vero temeritas erit pro conſilio, caſus pro ſapientia; & ars quæ tot mortalibus exſtitit ſalutaris, mulierculârum & impoſtorum calculis damnata; ut à populi tabernis, ſic à Regum turribus ejiceretur. Ex ea verò naturæ, de qua diximus, contuſatione, ſequitur ſumma in morbis confuſio, ut neque contemplabiles, nec indices, nec medici neque critici dies obſervari queant. Et vero ratæ ſunt admodum, perfectæ criſes. Ac ſæpe, malè curati ægri recidivam patiuntur, hinc morbi ex decidentia frequentes, & ex his frequentiores Chronici. Atque ita quidem *Angli* cum ſani tum ægrotantes ſe habent. Quibus, in morbis, Cardiacas ut vocant pociliationes ſume e familiare eſt, confectas ut antea diximus omni ex aromatum genere & ſtillatitiis liquoribus. Extra morbos, potu ex aqua & melle, cui lupulos adjiciunt, aromatumque condituram, & ceruſiæ fermentum, magnopere capiuntur. Eſt is potus ſane jucundus: ſed nocivus iis in quibus bilis exſuperat: nocivus etiam hiſtericis, & cerebrum imbecillis: pulmonicis

vero

vero si parce & intelligenter præbeatur, conducibilis.

Corpora vero sic exercent. Jactu brachia, saltu crura, cursu pedes, luctâ omnes artus firmant & labori durant. Hisque exercitationibus, multum mihi videntur reliquis nationibus antecellere. Jaculantur etiam ad scopum. Ac nobiles, præter venationem, discunt equos ingyrum flectere, ac pila chorei-que, & hastiludiis, militaribusque velitationibus ad bellicas difficultates præparantur. Sed nullum est oblectationis genus quod omnes cujusvis ordinis æque distineat ac *Gallinaceus* conflictus. Eam ob causam *Gallos Gallinaceos* alunt, quibus cristam, quibus plumas, quibus caudæ ornamentum abscindunt, ut sint ad pugnam leviores. Eis etiam è chalybe factitia aptant calcaria & eos ad pugnam accendunt certo pastionis genere quo se mutuis proscindant vulneribus. Et uter vicerit magnam pacisscuntur pecuniæ vim: inque id spectaculum multi insaniunt. Nec vero in lusibus & corporis exercitationibus magna utuntur violentia & contentione, & in omnibus omnino rebus remissiores sunt quàm *Galli*. Sed Mercaturam versutius diligentiusque faciunt. Ac tales sunt quidem gentis mores, qui tamen in singulis diversi reperiuntur, pro institutione & studiis & religionum cultu, quarum magna est apud ipsos discrepantsque varietas. De *Britanniæ* Insulæ positu, de aere, de ventis, de solo, deque gentis moribus ista quam proxime potuimus ad veritatem scripsimus

Exercitationes Anglorum.

scripsimus; non equidem ut quidquam de gentis laude, nostra detractum scriptione vellemus, neque ut sua ipsis vitia exprobraremus (quod procul est ab indolis meæ candore) sed ut in cognitionem eorum morborum, qui ipsis peculiares & vernaculi sunt, certiori via perveniremus. Enimvero nullus homo est, nedum nulla natio, quæ vitiis careat. Et longe quidem certior & litium immunior à parentibus imo à tota natione venit ad posteros vitiorum, quàm aut virtutum aut prædiorum hæreditas.

Nemo caret vitiis, sed qui paucissima peccat
Ille probi poterit, nomen habere viri.

Trahimus ab ipsa origine contagionem, deinde à nutricibus, à præceptoribus, ab ipsa patria corrumpimur. Nam ut animos patrii mores, patriæ leges, patria institura fere magis depravant, quam ad recta formant: sic corpora patrius aer hausfu suo inficit ac multiplici morborum impetitione præcipitat ad interitum.

Nunc igitur de patriis *Anglorum* morbis pro instituti nostri ratione differamus.

Anglorum Morbi. Nam etsi omni morborum generi obnoxii sunt, quemadmodum cæteræ nationes, tamen & hybernis & autumnalibus maxime infestantur; sed autumnalibus fere semper. Quippe maximam anni partem in ipsorum regione autumnalis tempestas regnat, sicut ex iis quæ de aëre & ventis antea diximus, haud dubiis argumentis

mentis quivis haud imperitus artis facile poteſt intelligere. Autumnales vero morbos libro aphoriſmorum tertio recenſet præceptor in hæc verba. Τοῦ δὲ φθινοπώρου καὶ τῶν θερινῶν τὰ πολλὰ, καὶ πυρετοὶ τεταρταῖοι καὶ πλανῆτες, καὶ σπλῆνες καὶ ὕδρωπες, καὶ φθίσεις, καὶ στραγγουρίαι, καὶ λιεντερίαι καὶ δυσεντερίαι, καὶ ἰσχιάδες καὶ κυνάγκαι καὶ ἄσθματα, καὶ εἴλειοι, καὶ ἐπιληψίαι καὶ τὰ μανικὰ καὶ τὰ μελαγχολικά. Enimvero facit aëris fere ſemper nebuloſi intemperies ne liberi ſint corporis meatus, atque ut humoribus introrſum verſis & occluſis, morbi longi & ut plurimum haud ſanabiles exoriantur. Eſt vero etiam humiditas quæ cum ob pluvias, tum ob aeris craſſitatem in *Anglia* dominatur cacochimiæ ac putredinis parens. Inde morbi Chronici putridæque febres & ſine typo. Inde quoque eſt, ut aut nullæ aut imperfectæ admodum in acutis morbis criſes eveniant. Inde lenti in febribus & incerti motus. Denique inde apparentium fallacia, & ſumma judicandi difficultas. Quamquam habet aliquid ea tarditas commodi. Suppeditat enim Medico præſidiorum excogitandorum & adhibendorum oportunitatem, quæ ſæpe celeriter in pernicibus acutiſſimorum morborum motionibus elabitur. Gravedines etiam & raucitates, & tuſſes, & tenebricoſæ vertigines, quos hybernos appellat morbos *Hippocrates*, *Angliæ* incolis infeſtiſſimæ ſunt.

Sed

Sed nihil tam ipſis fatale, eſt quam peripneumonia, & quæ inde ſequitur, tabes. Ulcera certe mali moris & exedentia & frigidos tumores in carcinomata degenerantes, ipſorum fœdare corpora, non ſine quodam horrore animadverti. Totâ quoque eâ Inſulâ dyſenteriæ & alvi proluviones fœdum in modum graſſantur, ac multos omnis & ſexus & ætatis miſerabiliter excruciatos ad interitum præcipitant. Mulierum vero plurimæ, fluoribus uterinis inquinantur, ac niſi expeditè ſuccurratur, extincto coloris flore, totiuſque corporis habitu tabeſcente, languent & exitiabiliter emaceſcunt. Macrocephalos inibi gentium pueros videas, & pectore prominente, inflexa dorſi ſpina, laxis membrorum compagibus, abdomine turgido, emaciatos & languidos. Quod morbi genus *Anglici* Medici Rachitidem appellant, quaſi ſpinæ dorſalis affectionem dicas, propterea quod præcipuam illic eſſe mali ſedem arbitrantur. Sed omnium morborum longe funeſtiſſima eſt pulmonum tabes, & totius corporis fœda miſerabiliſque corruptio cui Scorbuto nomen fecere. Craſſus aer & fere ſemper aut pluvioſus aut nebuloſus, gravedines & alia capiti mala invehit, quorum fluxus, cum haud facile ſiſti poſſit, inde pulmones obrui ac totum poſtea corpus lethifera affectum contagione marceſſere neceſſe eſt. Nec vero minimum ad id mali confert ea conſuetudo quæ jam à priſcis temporibus inolevit à majoribus derivata, ut adoleſcentes omnes in conſpectu parentum aut herorum nudo ſemper capite ſint, imo vero qui in tabernis opificum,

opificum, tyrocinia faciunt, quamdiu quidem domi versantur aut in tabernis, etiam rigente hyeme nefas sit caput esse contectos, nisi forte lineo pileolo pertenui; id quod vix vel ægrotantibus conceditur. Utuntur etiam iis cibis qui plurimum & nutriunt & humectant usque ad ingluviem, idque aut sine ullo, aut cum perpauco pane. Ea vero edacitas distillationibus fomentum præbet. Scorbutum autem à nautis invectum esse arbitror, pessimam sane mercem, cujus pernities, maritimos populos, maxime infestos habet. Eam pestem augent salsamenta, duratæ fumo carnes & pisces ad solem reficcati, quas maritimi homines instar delitiarum mensis adhibent. Scorbuto sanè haud aliter quam elephantiasi corpora deformantur; & ejus calamitate totæ familiæ, hæreditaria contagione funestantur. Est vero etiam tabes non contagione solum, sed traductione quoque communicabilis. Cujus tum tres differentiæ sint, ea magis *Anglos* afficit, quæ ab acri defluctione proficiscitur. Cujus ego duplicem esse causam reperio. Aeris intemperiem, ut jam antea dictum à nobis est, & totius corporis mollitiem, pulmonum vero imprimis constitutionem imbecillam. Incidunt etiam sæpe in tabem à gravioribus diuturnisque febribus, quas tarissimè apud ipsos perfecta crisis solvit. Ex tabidis vidi hic gentium qui plures annos, viam produxerunt, quibus ex arte Medica parata præsidia fuere. Sed omnes tandem animadverti, supervenientе alvi profluvio, sublatos esse. Nam tabe laborantibus quamdiu alvus mediocriter adstricta

ſtricta manet, haud omnino res deſperatæ ſunt. Quod ſi jam à principio tabis exorientis, cita & liquida feratur ſpem eos inchoare longam vetat. Ad ſcorbutum vero quod attinet, tametſi & maxime in *Anglia* graſſetur & à pleriſque novus eſſe exiſtimetur: tamen non ſolum apud *Cornel. Celſum*, verum etiam apud *Hippocratem*, *Celſo* longe antiquiorem, haud obſcura ejus morbi veſtigia reperio. Ac *Celſi* quidem hæc verba ſunt, poſita ſecundo de re Medica libro. *Quibus magni lienes ſunt & os olet, aut ſanguis aliqua parte prorumpit, quorum ſi nihil evenit, neceſſe eſt in cruribus mala ulcera & ex his nigræ cicatrices fiant. At Hippocrates ita loquitur Ionico more* ἡ γαστὴρ φυσᾶται, μετὰ δὲ καὶ ὁ σπλὴν οἰδέει καὶ σκληρός ἐστι καὶ ὀδῦναι ὀξεῖαι ἐμπίπτουσι ἐς τὸν σπλῆνα, ἡ δὲ χροίη πρέπεται καὶ ὁρᾶται μέλας, ἔπωχρος σιδιοειδὴς, καὶ ἐκ τοῦ ὠτὸς κακὸν ὄζει καὶ τὰ οὖλα κακὸν ὄζει, καὶ τὰ ἀπὸ τῶν ὀδώντων ἀφίσταται, καὶ ἐκ τῶν κνημέων ἕλκεα ἐκρήγνυται ὁκοῖα περ ἐπινυκτίδες, &c. Qui vero de eo morbi genere ſcriptitârunt, eos conſtat illius ſedem in ſplene collocatam reperiſſe. Quamquam in eo maxime errare mihi videtur vulgus Medicorum, quod non ſatis accuratè morbos diſcernunt, ſtatimque ut aliquem aut extuſſientem audiverint, aut anhelantem ſubpallidumque conſpexerint, ſtatim *Conſumptivum*, aut *Scorbuticum* pronuntiant;

nuntiant: ea ſunt enim verba, quibus illi in deſignanda phthiſi ſpleniſque affectibus ſignificandis utuntur. Nam phthiſin *Conſumptionem*, & phthiſicos *Conſumptivos*, Lienoſos vero *ſcorbuticos* appellitant. Cæterum quocumque illo deſignetur nomine lienis affectus, haud minus quam lepra & elephantiaſis aut aſpectu fœdus eſt, aut contagione formidabilis. Qua peſte qui infecti ſunt, eos videas fuſcos, vultuoſos, prominentibus labris, fœtido halitu, ægre ſpirantes, totumque corpus ſed imprimis crura maculoſos, & cum ſummè increvit malum, ulceroſos. Ginginæ tumidæ & cruentæ & putridæ, eroſi laxique dentes & omnis habitus deformis. Longæ diuturnæque febres & omnes omnino Chronici morbi in id mali deſinunt. Sæpe febris errans & obſcuri admodum ambiguique generis tanti mali comes accedit. Lividæ maculæ ſe oſtentant ac rurſus evaneſcunt. Puſtulæ interdum ſanie refertæ, ſæpe aquoſæ certis anni temporibus erumpunt, concidunt, exſiccantur ac rurſus ingraveſcunt, dum in ulcera mali moris degenerent, ſi non maturè omni ope & induſtria occurratur. Atque hæc, *Scorbutus*. Habet vero etiam ſingularem malignitatem, quæ certis anni tempeſtatibus *Anglos* invadit alvi cruenta proluvies. At ejus quoque cùm plura ſint genera: Jecorariæ & Rheumaticæ ante omnes nationes obnoxii ſunt. Et Rheumaticus quidem alvi fluor, fit humore multo & crudo ex Meſaraicis venis ad Inteſtina dilabente. Jecorarius autem ex eo quod alteratrix Jocinoris facultas infirma ſit. Atque

utrumque

utrumque mali genus, *Angliæ* terræ colonos facile invadit, non solum quia cœlo crasso, & udo humentique solo utuntur, sed etiam quia multi cibi sunt, multique potus, qui plerumque turbidus, fœculentus & crudus est, denique ut ego quidem existimo, quia omnibus obsoniis admiscent mella Indica Nam & cibi potusque copia naturam gravans cruditatem parit: & quæ dulcia sunt, cum & avide sumantur & abunde nutriant, Jocinoris meatus obstarciunt, multaque inquinant bile. Inde lævitates intestinorum, ac dolores quibus ægri fœde fœtideque ac diu torti, indignantem efflant animam. Est enimvero dignum miseratione spectaculum, cum viri fœminæque & pueri subito correpti malo, primum varii coloris excrementa derepente solutâ citataque alvo egerunt, deinde sanguinea, tum sanguinem purum illum quidem & sincerum cum nondum invaluit morbus, denique atrum & spurcum & corruptum tanto fœtore, ut infecti aeris inspiratu assidentes ministrantesque contaminentur. Magnam vero tanti mali partem, ingluviei acceptam esse referendam, ne quis sit inscius passim audiat vulgus nido osum eructantes, ac de cruditate & stomachi imbecillitate expostulantes. Quamquam certè suo tandem malo post diuturna bella civilia temperantes esse didicerunt. Nam quemadmodum à natu majoribus accepi ante civiles dissentiones, vivebant *Angli* pergenialiter perque voluptuose, longis invicem conviviis invitantes. & multo se potu proluentes. Ac ferme nullus erat adeo tenuis

qui

qui non, dico, vicinos liberaliter vocaret, ſed advenas quoque comi & hilari hoſpitio exciperet. At poſtquam neſcio quæ Religionum inſania mentes hominum invadens, civilem pacem perturbavit, ſuſque deque vertit omnia, & ille invitandi mos in deſuetudinem abiit. Nimirum unoquoque vicinum ſuum, quod diverſam colere Religionem videatur, obliquis oculis intuente. Jam enim ad antiquam innocentiam mores componere religio eſt. Verumtamen unum hoc illis video tanta ex civili calamitate profuiſſe, quod ferme ubique detractâ cœnâ, qua ſolebant uti profuſiſſimâ, magnam ſimul compluribus morbis materiam & alimentum detraxerint. Jam enim haud tam ſunt frequentes atque vulgares ſudorificæ illæ febres, quas à fatali ſymptomate ſudores *Anglicanos* appellitabant. Quibus qui correpti erant, ſtomachi motus patiebantur animique deliquium; ac deinde ſudore toti diffluebant adeo, ut eum naturæ labſcenti ſubveniri in tempore non poſſet, interirent. Id ſymptomatis eos, qui multis ſe craſſiſque cibis ingurgitant, & fœculentæ cervisiæ continuo potu proluunt etiam nunc infeſtos tener.

Cæterum ut ea mandem literis quæ mihi nonnullorum annorum eventu cognita ſunt: magnam video in hac Inſula morborum varietatem obſervâſſe. Neque id ſolum quia magnæ fiunt anni mutationes, perturbationeſque tempeſtatum: ſed etiam & multo magis, quia diverſam incolæ, vivendi ſequuntur rationem. Atque ego ne de illa quam in-bi animad-

animadverti morborum confusione, confusè scribam: Incolas *Magnæ Britanniæ* tres in ordines distribuam. Non equidem eorum, qui de republica disputant, documentis adhærens, sed meum persequens institutum, & ut Medicum decet meum agens negotium. Totam igitur *Britanniam* quanta quanta est, in plebem in ingenuos & in proceres dividendam puto. Plebs, in agris præsertim, antiquum morem paullùm immutatum ferme ubique retinet. Ingenuis diversa sunt studia, nam partim simplici cultu vivunt, partim nobiles imitantur. Apud Nobiles vero decorum & elegans æstimatur ad *Francorum* imitationem vitam & mores effingere. Ergo non solum *Francico* habitu vestiuntur, sed obsonantur quoque pari modo, & jam ubique ferme coquos habent accersitos è *Francia*. Quin etiam convivando ludendoque sæpe noctes integras trahunt, choreisque & venationibus & equitationibus vehementer exercentur. Nec eis vina desunt aliunde adsportata è *Francia, Germania, Italia, Hispania*, imo hercle etiam è *Græcia*. Nam quod *Anglicano* solo deest, laboriosâ mercatorum, suppletur industriâ. Quare cum ad imitationem *Francorum* vitam instituant, haud mirum est, similibus eos tentari morbis, id est acutis & calidis, quorum & celeres motus sunt, & manifestæ vehementesque crises. Sane si quis gnaviter ac intelligenter nobiles *Angli* curaverit, non obscuras sæpe crises in ipsorum morbis animadvertet, quas in vulgaribus per-raras esse omnes fatentur. Tametsi enim aëris ferme semper nebulo-

temperie

temperies ad morborum tarditatem plurimum faciat, tamen haud minus est in victu ad eos citandos efficaciæ. Nempe id *Hippocrates* mirifice docet in libro de flatibus μετὰ πάντων γὰρ τῶν ἐσθιομένων καὶ πινομένων εἴσεισι πνεῦμα ἐς τὸ σῶμα ἢ πλεόν ἢ ἔλασσον. Cibi crassi ac fœculentæ turbidæque potiones, crassos itidem ac lentos spiritus ingenerant, unde cruditas ac tarditas morborum & obscura symptomata infidæque crises: contra è cibis coctu digestuque facilibus calidisque & meracibus vinis, spiritus alacres & citatæ in morbis motiones, omniaque clariora quæ supervenient. Igitur Nobiles *Angli* doloribus laterum, continuis ac tertianis febribus, inflammationibusque pulmonum magis ob victus rationem obnoxii sunt, quam plebii. Quamquam & plebeis morbis infestantur. At vero qui mediæ sunt conditionis, ingenui mercatoresque quorum varia vita est, variis quoque conflictantur morborum generibus, & admodum dubiis, nec in totum aut longis aut acutis, aut manifestis obscurisve, sed mediæ cujusdam speciei, aut ut verius dixerim incerti & enormis, planeque inusitati generis. Erraticæ febres apud eos & sine typo plurimæ, tumores mixti, & modo apparentes, jam desidentes; nothæ pleuritides, infarctus meatuum, ac inprimis vasorum emulgentium; anhelitus, atque viscerum inquinamenta, cruditates, oris fœtores, totius abdominis turgescentia & quasi jaburratio,

Nam ij non tam ſplendidè quam oppipare & abundanter vivunt. Multam bubulam ovillamque aſſam, & placentas atque artocreata farciminaque menſis, inferentes. Interdum etiam vino & lupulatæ cerviſiæ intemperanter indulgentes, violentos acceſſunt morbos. Quamquam ego ſic exiſtimo: lupulatam cerviſiam. & bene coctam & defæcatam, haud ita eſſe inſalubrem, ſi quis modum adhibeat. Lupulos enim multis mederi morbis compertum eſt, adeo ut miter nihil ab antiquis medicis de ipſorum facultatibus eſſe litteris commendatum. Ac eorum quidem tenerrimi apices præterquam quod oleo atque aceto conditi jucunditatis habent plurimum, id etiam obtinent commodi, quod alvum molliant, infarctu liberent inteſtina, ſanguinem purum gignant. At flores & folliculi, aqua incocti hauſtique adverſus impetiginem, ſcabiem, luem veneream, ac venenum epotum uſui ſunt. Dantur inſuper ob jocinoris obſtructionem febricitantibus, magno cum fructu. Sed & intritis ſeminibus epotiſque cum idoneo liquore ſua virtus eſt, quippe cùm urinam atque menſtrua fœminis cient, tum lumbricos interimunt. Denique floribus ac folliculis illud ſupra quod à nobis memoratum eſt, tribuitur ut injecti balneis, rumorem ac duritiem locorum muliebrium emolliant melendique difficultatibus medentur. Egomet aliquot annos, tenerrimis uſus ſum lupuli ſummitatibus olivo aceto qualitatique temperatis, interdum etiam cum butyro & nuce miniſtica, magno meo commodo

Cæterum

Cæterum, ut ad inſtitutum redeam, *Anglorum* vulgus, caſeo, butyro, lacte, & avenatis, rure quidem veſcitur, in oppidis vero & urbibus, aſſa elixaque bubula porcinaque & marinis piſcibus, paneque cibario; at ſecundaria cerviſia pro communi potu illis eſt. Nam mane jejuni ſolent ingentia pocula bene lupulatæ fortiſque cerviſiæ haurire; plerique vero turbidum *Zithum* dulce & abſque lupulo bibunt. Id genus *Alam* appellitant ſua lingua. Quorum ego morem cur minime probandum cenſeam multæ cauſæ ſunt. Nam jejunum ventriculum potu proluere nocivum eſt. Solvit enim fibras, calorem imminuit, ac vim omnem infringit. Sed enim ſi generoſior potus liberali manu affundatur tum multo graviora exoriuntur incommoda. Inde enim dolores articulorum, convulſiones tremores, lævitates inteſtinorum, diarrhiæ, cardiogmi & alia, quæ hic annumerare nihil attinet, mala. Nec enim id nobis eſt hoc loco ſuſceptum, ut quos affert mobos ingeſta jejuno ſtomacho potio, ſingulatim omnes percenſeamus. Verum enimvero ſunt, quibus convenit jejunos potui indulgere. Quibus autem & quatenus, ad intelligentem Medicum definire pertinet. Quamquam ſapientiſſimus author Plutarchus vehementer eos reprehendendos putat qui ſe jejunos multo proluunt liquore. Et quoniam non tam qualitate quam copia & quantitate inſalubre eſt id alimenti, quo vulgares *Angli*, veſcuntur, genus, tametſi qualitate quoque nocet, craſſum eſt enim, & niſi robuſtis digeſtu difficile; complurium eſt causa & origo morborum; quos equidem evi-

tari hac una maxime ratione posse existimo, si quisque pro ætate, loco, tempore, conditione, temperamento, adhibito judicio ac moderatione, crassis illis utatur cibis. At vulgus omnis expers rationis, nulla in re tenere modum potest. Igitur ex hujusmodi potulentorum & esculentorum usu, spiritus impuri crassique generantur, ab his humores crassos produci necesse est, indeque sanguinem inquinari, opplen obstruiq; viscera, oriri putredines, impetrigines scabiem, herpetas, aliasque cutis fœditates. Hinc arenulæ, urinæ stillicidia, occlusis nimirum humoris crassitudine & copia meatibus, oriuntur. Hinc totius corporis refrigerationes, temperamentique solutio. Hinc tenesmi dejectionesque frequentes & mucosæ. Ex eodem fonte gravedines, œdemata, syderationes, apoplexiæ, lethargi, paralyses, & intercutes aquæ manant. Nam obesitatem & inutilem membrorum molem & alia minora mala consultò prætereo. Minor inquam, si cum iis conferantur quæ rationis arcem, diæque mentis sedem petunt. Stupor enim, oblivio, socordia, vecordia, tarditas, amentia, vesania, unde quæso nisi ab impuritate crassitudineque spirituum, originem nanciscuntur. At vero spiritus tales evadunt, qualis & quem inspiramus, & cibi quibus alimur. Crassi igitur alimentis adhibitis, spissoque aëre inspirato, crassos itidem & inquinatos ingenerat spiritus necesse est. Et quo major fuerit esculentorum potulentorumq; copia, eo gravior inquinatoresque fieri spiritus constat. Nimirum corpore majorem in molem turgescente, quo major quoque spiritus attrahendi nec

rat, qui quo impurior fuerit, eo fœtidius & spiritus lædet & corpora liberfaciabit.

Haud vero semper ex illius generis cibariorum usu morbi fiunt, sed tum cum fiunt, tales fiunt, quales sunt à nobis commemorati. Tum autem fiunt, cum & majori quam in æquam commodè ab nativo calore concoqui atque ab nutritivæ facultatis administris æqualiter in omnia membra pro cujusque natura distribui queat, ingeruntur; & corpora vel non exercentur prorsus, vel nimium & statim ab immodica pastione exercentur, his enim excessibus maximè sæpissimeque peccatur. Medici quidem veteres, cum morborum causas pervestigarent eas in universum duas visi sunt reperisse easque maxime contrarias, Repletionem & Inanitionem; quarum hæc in defectu, illa vero in excessu est. Ego vero quantum assequi judicio possum, morborum *Anglicanorum* causam in repletione esse existimo. Nam cum in summa pace tranquilloque otio, & ubertima rerum omnium abundantia vivant: non eos jam tubarum sonus excitet; non eis ullam exinbeat molestiam effrenata militum audacia; non oppidorum incendia videant; non agrorum populationes metuant; non liberorum atque conjugum captivitates constuprationesque eædas pertimescant; Lautè nimirum & liberaliter indulgent corpori; illudque probe curarum & saginatum & laburiatum reddant, usque adeo, ut cum regendis humoribus impar natura sit, aut eos effundat necesse est, aut eis extrabiliter opprimatur. Quare ego sic statuo, omnium *Anglicanorum* morborum causam unâ repletioni

acceptam esse referendam. Etenim humorum abundantiâ sæpenumero natura sic obruitur, imo vero sic conturbatur, ut eos summa vi summoque nisu propellens, necessariis simul & succis & spiritibus, sese miserabilem in modum exinaniat. Tum enim pessumdatis viribus sequitur, aut longa tabes, aut diuturnus marcor, aut cita mors. Vidi mehercules, haud raro, tanto impetu per sudores per alvum, per uretrum, per nares, humores erumpere, ut inde tremores primum, tum convulsiones efficerentur, tum deniq; intra tertium diem afferretur interitus. Est igitur omnium malorum princeps & maxima causa repletio. Ejus vero parens intemperantia judicanda est quam Medicorum nutricem scite admodum *Fernelius* appellavit. Est autem illud verum tametsi non ita elegans *Academiæ novæ* placitum: *Quod est causa causæ est causa causati*: unde consequitur morbiferarum causarum, fontem originem atque caput in intempestivo atque intemperanti ciborum usu quærendum esse. Nihil enim eorum quæ esculenta vel potulenta sunt nocet, nisi quis abutatur. At ne venena quidem, nisi magna quantitate sumpta deleteria sunt. Quod si quis ex promiscuo atque modico cibi quo populus utitur, genere læsus est, id non tam ipsius cibi natura quam uentis mala constitutione factum esse non hæsitanter pronuntio.

Nec refert quidquam quo victu corpus alatur,
Dummodo quod capias concoctum edere possis
Artubus & stomachi humectum servare tenorem.

Ut præclare *Lucretius* qui profecto jucundus

est,

eſt. Nam cauſam quærens, cur iidem cibi aliis grati dulceſque, aliis amari atque ingrati ſint; ait omnia minutiſſimorum concurſu corporum fieri: quorum variæ ſint figuræ, quadratæ, rotundæ triquetræ, leves item & asperæ & hamatæ. Porro animantes omnes quæ cibo utantur ex ejuſmodi corporum varie ac concretas; ut ſeminibus ſic etiam figuris differre, cum extrinſecus tum intrinſecus: variaque habere foramina, cum in omnibus membris tum in ore & palato. Quæ cum poſuit, tum ita concludit.

Ergo ubi quod ſuave eſt aliis, aliis ſit amarum,
Illis queis ſuave eſt, laviſſima corpora debent
Contrectabiliter cauſas intrare palati;
Et contra quibus eſt eadem res intus acerba,
Aſpera nimirum penetrant, hamataque fauces.

Ex eodem fonte febris deducit principia. Conturbari enim corpus ob commutationem, perverſamque earum atomorum poſituram. Indeque eſſe, ut quæ ante feb im exortam convenirebant, jam non conveniant, & quæ antea ſua jucunditate ſenſus demulcebant, eadem acerbo nunc amaro ve lædant. Sed in illis nugis totus eſt *Democritus*. Nam *Democritus* vel ſomnians vel delirans eas atomos eſt commentus, deque illis Abderæ quæ ſtolidorum ferax ingeniorum fuit, inſano more Philoſophatus. Cui ut ad ſanam mentem reduceretur, opus fuit *Hippocrate* Medico. Verum ego *Democritum* ac *Democriteos* ſinens, ad propoſitum revertor atque aio, Morbos omnes cum à vivendi ratione tum à ſpiritu quem viventes attrahimus originem habere, ac Magni præceptoris acquiesco ſententiæ:

αἱ δὲ νοῦσι γίνονται, inquit, αἱ μὲν ἀπὸ τῶν διαιτημάτων, αἱ δὲ ἀπὸ τοῦ πνεύματος, ὁ ἐσαγόμενοι ζῶμεν. Ac eos quidem morbos ab aëre gigni, statuendum est, qui cum unius generis sint, multos uno tempore corripiunt. Diversos autem ad diversa referendos esse alimenta existimo. At cur non omnes qui eundem male temperatum aëra spirant, male afficiantur, hæc in causa mihi videntur esse. Nam aut firmis beneque constitutis visceribus sunt & denso compactoque corporis habitu, sic ut ab aëris impressionibus lædi nequeant: aut ita moderate ac temperate vitam agunt, ut quamvis tenui sint & exili corpore, tamen nihil habeant superfluum & redundans, quod perturbari à causis adventitiis, & aëris inquinamentis infici possit. His addo similitudinem & consentionem qualitatum, quam συνπάθειαν Græci vocant; qua fit ut qui purum ac liquidum aëra non ferunt, ij in uliginosis palustribusque locis, & ubi densis obsitum nubibus cœlum est, optime degant. Jam vero corporum constitutiones cum variæ sint & multiplices, vario quoque & multiplici modo ab alimentis afficiuntur. Indeque est ut non modo quæ huic nociva sunt, conducant alii; sed etiam quæ eidem homini salubria hoc tempore sunt, eadem altero tempore perniciem afferant. Inde quoque est, ut animalium quædam, herbis & aliis utantur quæ homini venena sunt, sic coturnices veratro pascuntur, sturni cicuta. Corvos etiam mandere serpentes cognitum est. Nos tamen coturnices, sturnos, cervos innoxie edimus: cum veratri, cicutæ,

cicutæ, serpentium esus maxime nobis sit exitabilis. Illud vero dignum observatu venit, quod ex innumerabili hominum multitudine qui in eadem civitate vivunt, eundem aëra exspiratu inspiratuque agentes, at longe diverium sequentes in cibis morem ac variis præditi temperamentis: tamen cum est cœlum pestilens, neque omnes afficiuntur & qui afficiantur lethifera contagione, simili ferme ægrotent modo. Est cum omissâ plebeculâ, quæ & tenuiter vivit & naviter laborat, per procerum domos, ubi mollis & voluptuaria vita est, fatalis grassetur lues. Est cum validi vegetique manent, sospites evadant imbellici. Nimirum vulgares labore durant, & simplici aluntur cibo, quique plus succi & roboris habeat, quam deliciarum. Divites vero undique cupedias accersentes & semper crudi, superfluis redundant humoribus, & ex inerti otio laxissimæ texturæ corpora nanciscuntur. Ergo illi facile abs se propellunt nocentem auram, quam hic toto corpore, fluxo & raro & dælitiis emollito admittunt. Strenuorum & vegetorum, & valentium alia causa est. Scilicet illi ex inconsulta, præsidentique temeritate periculis se objiciunt, conservantia remedia negligentes. Invalidis contra sua imbecillitas saluti est, cuius conscii à Medicina præsidium petunt, quæ cum divinitus hominum generi, tributa sit in tempore adhibita, multos ab interitu vindicavit.

Memini, & quanquam præteritorum jucunda recordatio malorum est, tamen & cum dolore memini; & vix temperare possum quin rectudescente ad tantorum malorum cogitationem

enem jam dudum obductâ cicatrice, lacrymas aberrim fundam. Eheu! tamen memini cum me puero vastata *Francorum* & *Suecorum* armis esset, miserabilis *Lotharingia*: & cum ex antiquo illius splendore nihil restaret, præter desertos & spinis ac filicibus, dumetisque obsitos agros, & humanitia colonorum tecta: cum Nanceium, gentis caput, arce imposita hostili præsidio teneretur; cum ferro cæsis aut in durissimam abactis servitutem colonis, neque sereretur neque meteretur tantaque annonæ gravitas esset, ut agrestibus radicibus, canibus, felibus, equis morbo confectis, glandibus & aliis humano cibui insolitis quisquiliis, verius quam cibis, rabidam famem depellere, & in aliquot dies, horridam differre mortem optabile esset: cum igitur tam tetra esset, florentis olim *Lotharingiæ* facies; ad omnium malorum cumulum, immissam ira numinis pestilentiam, reliquos civium quibus & hostilis mucro peperserat, & omni atrocior hoste fames, aliquid spirabile reliqueret, perniciabiliter afflixisse.

Pestilentia describitur.

Tum grave cœlum & aura lethifera, si quæ spirabat, & squalens tempestas, & omnis natura, quo te cumque converteres, tristis & marcida, & farali funestata contagione videbatur. Arva ubique arentia, solum ardore solis ustum, & arbores deciduis, fluxisque frondibus, tanquam positis capillis, mœstæ. Sed infœlicium mortalium multo lugubrior erat habitus. Nam qui dira contagione tacti erant iis primum sopore gravi caput opprimebatur; sic ut expergescentibus temporum arteriæ vehementer pulsarent, dolorque magnus oriretur,

orietur. Tumentes oculi, rubentesque, facies tota flammans, & per omnes artus manans sudor. Exinde vomitus, ventriculique vellicationes & animi crebra deliquia. Sed cum acri quodam mordacique tenu fluebat sudor, & in vomitu nihil erat levaminis, & ab animi deliquiis, in desperationem agebantur ægri. Neque sitis ardor in minimis numerandæ malis, exanimes sinebat; cum arentes fauces, & lingua torrida nigroreque & lento situ deformis nullo possent, quantumvis gelido liquo e mitigari. Quin statim ingestâ frigidâ, majus incendium viscera lethali afflata pernicie concipiebant. Quibus vel exanthemata vel bubones, ad diem septimum apparebant, ii si Medici suo non deessent officio plerumque liberabantur. Quod si tetrum virus, tarde maturescentibus bubonibus vacuari non posset, inevitabilis sequebatur interitus. At enim haud omnibus exanthemata, buboneſve prodibant: quippe tot exorientibus malis, ea fœditates inter bona censebantur. Quorum qui immunes erant, eos horrenda insomnia, turbulentæque vigiliæ fatigabant; tum deliria & insaniæ & furores funditus everrebant. Ergo tot obruti calamitatibus, eluctantem animam, quidam inter lamentantium parentum amplexus efflabant: quidam omni humano destituti solatio, (metuendam pestem liberis & amicis & conjugibus longe fugientibus) miserabiliter expellebant. Nulla in tam ampla, splendidaque & populosa civitate domus erat æruminarum & funerum & lamentationum immunis. Ac tanto furore sæva & inexorabilis

inexorabilis pernities omnia devastavit; ut neque sepulchreta corporibus humandis jam supersessent, neque vivi tegendis efferendisque mortuis pares inveniretur. Ergo jacebant passim in domibus, in trivis, in compitis aut prorsus insepulta, aut exigua humo leviter contecta cadavera. Quæ cum lupi retexissent, ne urgente quidem fame, nescio quo horrore aversati, contingebant. Sed neque corvi & vultures quanquam male ominoso grege circitantes alasque complodentes, tabo manantium cadaverum fœditatem sustinebant. Tota vero civitate, formidabilis erat eorum conspectus, occursusve, qui funeream pestem evaserant. Fallidi macilentique & languidi, marcida neque bene cohærentia membra baculis sustentantes vix imbecillem adhuc & titubantem regebant gressum, qualiter infantes cum prima ponunt solo vestigia. Tamen lætabantur si cujusvis amici superstitis intueri vultum, & deformia cicatricibus ora contigisset. Et quanquam summam omnes omnium rerum jacturam fecissent: tamen non tam amissorum dolore angebantur, quam sospitatorum ac tanquam redivivorum amicorum alloquio recreabantur.

Quæ ego tibi nunc, ô Deus optime, Maxime, hujus immensæ rerum universitatis conditor & moderator perfovam grates? Quas tibi *Jesu Christe* verbum æternum, ab æterno Patre genite, Vindex, Servator, Assertor humanæ gentis? Quas tibi Spiritus alme Patri Filioque par æternitate, substantia, potestate; quippe ab utroque procedens excitas, moves, expurgas,

gas, illustras omnia! Quas tibi sanctissima augustissimaque Trinitas, gratias, pro summis tuis in me misellum, atque abjectissimum homuncionem collatis beneficiis referam! Tu me, flagrante patria velut alterum *Danielem* è flammis eripuisti. Tu ne quid mihi puero & omnium ignaro rerum in tanta tamque communi popularium meorum calamitate deesset, effecisti. Tu mihi nutricis ac parentis instar fuisti tum, cum carissima mihi genitrix, paullo ante immane grassantem illam pestem longo tabida morbo meis vivere commodis desisset. Tu denique cum omnes Civitatis viæ cadaveribus undique septæ præluderetur me non modo salvum sed vegetum etiam, lætumque conservasti. Ergo tibi rerum omnium autori, conservatori atque administratori Deo, quantas pro humana possum imbecillitate gratias ago; primum quod in summa illa annonæ penuria mihi perliberaliter administrari omnia voluisti; deinde quod gravi pestilentique cœlo, ac sæviente in meos cives irâ numinis tui, me tot ac tantis intactum malis præstiteris. Etenim memini & alta reconditum mente servo, mihi vulgatia quædam, sed te volente, summarum virium, medicamenta esse data. Nam jubebat pater meus, vir quidem militaris, cæterum nec indoctus & qui præstant illorum uteretur consilio medicorum, ut summo mane statim ac evigilassem aceto quàm reperiri posset acerrimo temporaque & os & volas & carpos abluerem. In eo vero aceto macerata erant totam

Remedia adversus pestem efficacissima.

noctem

noctem piperis grana & *Gariophilli*. Tum crustam panis cui affrictum erat allium, ederem, post hæc meri cyathum ebiberem. Semper autem quocumque irem, pixidem eburneolam manu tenebam, in qua erat spongia, aceto, cinnamomo nuce miristica, pipere & *Gariophillis* imbuta. Eam pixidem si quis ex adverso veniret, funesta contagione inquinatus, occurrebant autem singulis horis, quamplurimi naribus admovens, Lethiferamj auram à me depellebam. Credo quoque profuisse quod aliquanto ante ortam pestilentiam ægrotans, summa cura purgatus essem à Medicis. Duo igitur secundùm Deum, maximo mihi præsidio fuere, primum quod antecedenti morbo ac medicamentis extenuatus minima respiratione indigerem: deinde quod acri odore communiti sensus & insiti spiritus recreati facile malignam auram dimoverent, nec eâ se sinerent inquinari. His adjumentis quamdiu grassata pestis est, totos autem octodecim menses immaniter est grassata, tametsi & in urbem itarem, & inter inquinatos versarer, tutus fui. Vidi aliquando cum

Observatio. ruri pranderemus, duos è convivis lætos, & ut videbatur, sanos, derepente cœlesti morbo tactos, è triclinio sublatos esse. Lusi cum infante puero, qui ferali correptus lue statim est & cujus parentes intra septimum diem funesta contagione periere. Memini quoque cum in domo vicina versarer omnes concepta peste, in *Nosocomium* extra civitatem eductos, inibique intra paucos dies, præter unum, qui paullò post pediculari morbo

morbo interiit, esse mortuos. Eheu! infelicem mortalium conditionem! quot objecti miseriis & ærumnis sumus! Verum ego si omnia persequi vellem, nullum neque deplorandi, neque scribendi finem facerem. At jam tempus est ut vela contrahens portum respiciam.

Hactenus in consideratione cœli solique, ventorumque & aquarum *Angliæ* terræ, morborumque ejus Incolis vernaculorum, nostra versata est oratio. Superest ut quibus potissimum remediis ij morbi curandi sint, ostendamus. Nam quid quid à nobis de soli ventorumque & aquarum natura dictum est, non alio fine dictum est; quàm ut illis cognitis, mores inde quibus utuntur incolæ, & quibus maxime conflictantur, morbos intelligeremus. Etenim cœli solique temperiem sequuntur mores, & ex moribus sapiens Medicus ad cognoscendam morborum naturam pronâ facilique ducitur viâ. Frustra vero totum hunc à nobis susceptum esse laborem putaremus; nisi postquam de morbis universim & per genera dictum est, de remediis quoque diceremus, non singulatim & enucleate, sed summatim & quantum suscepti operis ratio postulat. Certe enim si Medicæ Contemplationis finis est actio; omnis autem actio Medica in curandis moribus versari debet necessario consequi visum est ut post *Anglicanorum* morborum investigationem, quæ deinceps ad eorum curationem adhibenda essent remedia perquireremus. Quod si visi erimus ab aliquibus nuper institutæ Academiæ

demiæ ſectatoribus in hac quæſtione diſſentire, facile nos hac reſponſione tuebimur: Nos pro jure noſtro facere. Neque enim turbidos noviſſimæ inventionis rivulos conſectamur, ſed è puriſſimis *Hipporaticæ* doctrinæ fontibus haurimus; è quibus innumeri ante nos, ex omnibus gentibus viri doctiſſimi bis mille & amplius annos, & biberunt ipſi & aliis ad bibendum præbuerunt.

Nova Academia vocabulum hic uſurpatur pro nova doctrina eorum, qui morbos omnes ſanguinis detractione curandos eſſe docent.

Qui ad Medicinam faciendam Phyſicorum ignarus accedit, haud aliter facit ac ſi quis tentet abſq; remis ac gubernaculo, veliſque navigare. Medico igitur tota fere natura cognita ſit oportet: in hominum vero temperamentis debet eſſe verſatiſſimus. Ea nimirum cognitio tanquam Helice atque Cynoſura eſt, quam ſequi & ad quam totius curſum navigationis dirigere neceſſe eſt eum, qui ſalvam & incolumem ad portum appellere navim optabit. At vero de communi hominum natura ſcribere haud fortaſſis arduum fuerit; cæterum de ſingulis conſtitutionibus velle diſſerere, infiniti, nec humanarum virium, laboris. Quot enim homines ſunt, tot ſunt ſingulares & incommunicabiles conſtitutiones. Et quam varia eſt complexionum diverſitas, tantam, tamque diverſam eſſe morborum

Philoſophia naturalis cognitio, Medicinis neceſſaria eſt.

morborum varietatem haud falsis inductus argumentis, pronuntio. Vel in geminis, tametsi magna sit vultus similitudo, quanta est tamen morum dissonantia? quanta studiorum inæqualitas? quæ morborum cum ægrotant dissimilitudo? Quæ cum ita sint, quantæ & quam immensæ operæ fuisset de *Anglia* situ scribenti, de singulis urbibus, imo de singulis domibus facere mentionem. Urbium enim tametsi unius tantum horæ itinere distent, magna tamen est, ob posituram, aquarum aëris que & ventorum differentia. Quin etiam in unis ædibus tantum esse discriminis animadverti ut cubicula aliis alia salubriora esse sentirem. In *Cardighamia* cum aliquando essem apud Clarissimum *Johannem Vaughanum*, qui nunc summus est rerum civilium Judex, isque mecum perfamiliariter loqueretur, ostendit mihi cubiculum, in quo qui degerent, tertiana febri statis anni temporibus tentarentur; à meque rationem scisciatus, respondi, causam ad aërem esse referendam. Quare ille cum & arbores ex una parte deturbasset, ex alia murum exciasset, locum salubrem reddidit. Atque egomet cum in *Armorica* versarer, mihique fenestra, à septemtrionibus aperta esset, in febrem quartanam incidi, statimque mutato cubiculo convalui, nullis usus præterea medicamentis. Idque non solum in *Armorica*, sed in *Anglia* quoque sum expertus. Nunquam enim insalubrius habitavi, quam cum, ad septemtriones aperta mihi cubicula fuere. Tametsi vero nemo, ne *Hippocrates* quidem de singulorum hominum morbis

morbis egerit, tamen ex *Hippocratis* & aliorum antiquorum placitis ea sapiens & acutus Medicus colliget, quæ ad singulorum curationem morbo rum sunt conducibilia. Quod si ventorum quoque, regionumque & aquarum, cœlique cognitionem adhibuerit, tum nimirum de cujusque loci salubritate, nullo negotio judicabit. Nos igitur posteaquam summa morborum *Anglis* vernaculorum capita attigimus ad remedia demonstranda sic aggrediemur, ut tanquam ad fontes, digitos intendisse satis esse arbitremur.

Duas Medici veteres omnium morborum sicut jam à nobis dictum est, summas causas fecerunt, Inanitionem & Repletionem. Nos uram tantum, repletionem scilicet, *Anglicanorum* effectricem esse morborum, judicamus. Quare ad eorum curationem unam itidem evacuationem, satis esse futuram putamus quandoquidem contraria sunt contrariorum remedia. De morborum autem principibus causis loquimur, non de accidentibus, quibus alia ratione succurrendum est. Jam vero remediorum evacuantium, quæ summa appellantur duo sunt præcipua genera. Purgatio nimirum, quæ supra vel infra fit, propinata medicata potione; & venæ incisio, quam à *Græcis* φλεβοτομίαν esse dictam, ne ipsi quidem *Tonsores* ignorant. Utrum eorum remediorum, ad profligandos *Anglorum* morbos, maximè sit adhibendum, summa jam pridem contentione summisque studiis quæsitum est. Ego vero circumspectis rebus omnibus,

nibus, rationibusque subductis, non arroganter nec invidiosè, sed libere pronuntio, mihi videri purgationem ut plurimum, venæ sectione magis esse consentaneam, imò verò necessariam.

Quidam ex Antiquissimis Philosophis tantam sanguinis excellentiam crediderunt, ut ipsum esse animum affirmarent: alii multo ad veritatem proprius suffusum cordi sanguinem, animi sedem esse dicerent. Eam *Empedocles* opinionem secutus est à *Moyse* traditam, qui supra mille annos ante natum *Empedoclem*, in legibus, quas *Israelitico* populo tulit, sanctè cavit, ne sanguine vescerentur, neve suffocatorum animalium carnes, mensis inferrent; eam scilicet ob rationem, quod anima esset in sanguine, quo effuso ipsamquoque statim animam effundi necesse esset. Sanguinem ego cum doctissimis viris aio, vitæ fontem ac domicilium esse, unde spiritus oriuntur, reparantur, aluntur, recreantur, animi retinaculum, affectorem lætitiæ omnisque autorem hilaritatis, lepôrumque ac venerum, facetiarumque & gratiarum genitorem. Qui magna semper cura fovendus est: nunquam vero nisi magna adhibita cautione, atque urgente necessitate detrahendus. Ætates, vivendi modi, vires, anni tempestates, loca denique ipsa, morbique & naturæ considerandæ sunt. Nam nulla horum adjunctorum habita ratione sanguinem detrahere, id non mederi sed ægrum jugulare est. Ubi crudis humoribus oppleti ventriculi sunt nemo prudens venam aperuerit. Ne hydropicis quidem neque multa

pituita

pituita prægravatis ut neque his quibus lævia sunt intestina. Jam verò tabe consumptis cui bono erit venæ sectio? Nam quibus splendida redundat bilis, si sanguinem, cujus humore ac dulcedine bilis efferata mitigatur, quis detraxerit, protinus eos ad insaniam adiget. Magnopere crassos quibus & exiles venæ sunt, & frigida constitutio, minime ferre sanguinis missionem constat. Ac qui malo sunt habitu, qui cibo potuque se ingurgitant, quibus raræ texturæ sunt corpora: quibus item ventriculi ad attrahendos aliunde succos propensi sunt; quales pituitosi & qui inediam facile tolerant: ad-hæc quibus os ventriculi amara pungitur bile, aut imbecillum aut magno præditum sensu est, hi statim detracto sanguine convelluntur omnes, aut exolvuntur, summum circumstantibus metum incutientes, ac ipsi in ancipiti versantes vitæ periculo. Denique in omnibus omnino frigidis & morbis & corporibus & tempestatibus venæ sectione abstinendum est. Quæ cum in *Anglia* ferme reperiantur, sequitur purgatione potius, quàm venæ sectione morbo laborantibus *Anglis* ut plurimum esse subveniendum. Enimverò ex omnibus *Europæ* populis, minime patientes sunt ejus evacuationis quæ fit detracto sanguine. Complures equidem novi qui statim ut aperta vena, fluere sanguinem vident, animo linquuntur. Ac ne lienosos quidem venæ sectione curandos putaverim, præsertim ubi morbo jam ingravescente pedes tument, ac totius corporis habitus livido colore fœdatur. Et quanquam satis intelligam ex singulari quodam

quodam casu, nihil inferri in universum posse: tamen narrabo quid viderim; valebit enim, cum se non absimilis dabit occasio. *Bristolium* Civitas est tota *Britanniâ* nobilis; me per eam iter facientem Chirurgus quidam haud sane imperitus & antiqua mihi familiaritate notus forte fortuna obvium habuit; manuque prehendens, oportune inquit, te nunc habeo: itaque, nisi molestum est, veni quæso mecum, ac tuum mihi consilium impertire: & cum dicto deduxit ad juvenculam quandam lienosam, & cui menstrua jampridem non profluxerant. Tum illic Chirurgus, quid censes, inquit, huicne venam aperiam è cubito? Ego vero, inquam, nihil minus, quin eam purgato per superiora. Tibi enim ante denuntio quo magis caveas, futurum ut convellatur, si sanguinem ei, non prius purgato ventriculo, detraxeris. Crudis enim & lentis; & omnino pravis redundat humoribus. Ac ille quidem hæc audiens hæsitavit. Cæterum puellâ & ejus affinibus qui aderant adhortantibus ut porro pergeret, aperuit *lanceola* venam cubiti dextri mediam; at vix quatuor unciæ sanguinis effluxerant, cum illa vehementer convelli cœpta, denuntiati à me infortunii eventum comprobavit. Tum vero Chirurgus me respicere, trepidare & majus aliquod malum formidare. Sed odorato vino revocata est. Ac sub vesperam postquam ei clystere sunt abluta intestina melius habuit; denique medicatis potionibus ad pristinam integramque valetudinem est restituta. Nec vero soli huic puellæ contigit ut convelleretur

&

& animo ſolveretur: me præſente & prædicente compluribus aliis cum viris tum fœminis idem evenit, quorum caſus commemorare non eſt noſtri inſtituti. Mihi certe quidem in *Anglia* Medicam artem factitanti ſæpe venit in mentem mirari quid cauſæ eſſet cur ſanguinis evacuationem tam ægrè ferrent Inſulares.

Id eſt, neque in frigoris neque in caloris exceſſu, ut plurimum, ſicut Suetia & Polonia in qua ſumma frigora, & Italia in qua ſummi calores.

Ac præter alias rationes, illius aërem Inſulæ reperiebam, temperatiorem illum quidem quam aliis multis in regionibus: at craſſum fere ſemper & nebuloſum & multis obſitum inquinamentis; quibus ſtatim ab evacuatione ſanguinis, natura recreandorum ſpirituum avida pollueretur. Nam is aër inſpiratu vehementer attractus, antequâ poſſet à pulmonibus repurgari, languidos adhuc effuſo ſanguine ſpiritus alienis qualitatibus lædens, vel retro ad vitæ fontem, id eſt ad cor, premebat, vel penitus opprimebat. Indeque muſculorum violenti motus animiq; deliquia. Quibuſdam vero ſudores, immodicæque perfrigerationes & protractiones morborum fiebant. Et illa quidem vel inconſultorum Chirurgorum, qui lucrum potius, quàm ægrorum ſalutem quærebant, vel juvenum medicorum, ex Academia recentium adhuc & in artis operibus nondum verſatorum præcipitiq; inconſiderentia jactatorum, errore contingebant, quorum culpa cum multos rerum ignaros, quo minus ſe Medicis committerent

rent impediebat, rum in insignium medicorum totiusq; Medicæ facultatis invidiã redundabat.

Quæ cum ita sint quis non intelligat purgationem sæpius & utilius ad curandos *Anglorum* morbos adhibendam esse, præsertim cum id & morborum natura postulet, & ipsorum ægrotantium mos requirat? Sæpe enim vomitu, sudoribus & alvi solutione spontanea purgantur. Neque tamen hæc à nobis ideirco dicta sunt ut nullum venæ sectioni relictum putemus locum. Ea quoque magno cum fructu celebratur: sed adhibendum est judicium, ut & in tempore fiat, & ante purgatis intestinis, ut supervenientia vitentur mala. Profecto si quis apud se reputaverit ea quæ de morum *Anglicanorum* diversitate diximus tum, cum incolas in tres quasi classes divisimus, haud difficili negotio, quibus vacuatione sanguinis opus sit, quibus vero non, judicabit. Nobilibus enim & iis qui splendide vivunt utilem esse censuerim. Eos vero etiam morbos cum qui calidi sunt, tum quorum celeres sunt motiones sanguinis missione curandos haud abnuerim. Corpora certè densa compactaque & torosa quæ nec læduntur ab aëre facillime, neque sudore diffluunt, ea cum usus est, sine molestia venæ sectionem patiuntur. Peregrinis quidem, imprimis qui ex *Hispania*, *Gallia*, *Hispania*, *Lusitania* veniunt, quique suo more vivunt, & quibus nondum immutatum est patrii soli desuetudine temperamentum, sine ulla dubitatione adhibenda est, quamquam fortasse non ita frequenter, sed liberaliori manu

Conclusio.

manu venarum incisio. At ex indigenis ii qui puriore fruuntur aëre, qui procul ab littoribus, qui montanas & editas incolunt regiones, si cætera conveniant, sanguinis evacuatione sunt curandi. Nam cæteris aut medicatæ potiones aut καθαρτικα convenient, queis aut vomitus provocetur, aut subducatur alvus, aut sudores eliciantur.

EPILOGUS.

Sed nos immensum spatiis confecimus æquor,
Et jam tempus equum spumantia solvere colla,

Sic igitur instituto nostro satis fecimus ut intelligere lectores æqui possint nihil nobis esse magis in votis, quam ut communibus omnium commodis, quoniam omnibus gentibus humanæ societatis vinculo conjuncti sumus, operâ, studio, labore, vigiliis, omnibus denique modis inserviamus. Quod si non omnium expectationi cumulate respondimus, non voluntatis, sed humanæ cujusdam imbecillitatis fuit. Itaque quòd voluimus æqui bonique consulent, uti speramus, rerum intelligentes, & veniam dabunt quòd non potuimus. At nos, si quod optabamus non sumus assequuti, attamen magnis ausis excidimus. Vel illud saltem nobis concedetur, ut quanquam huc ab ultimis *Germaniæ* finibus adpulsi: tamen *Hippocratis* quo neminem in Medicina facienda prudentiorem exstitisse constans omnium gentium fama est, præceptis atque adhortationibus obtemperantes, sedulam dedisse operam judicemur, ut ne soli cœlique

&

& aquarum, aut morum ejus Insulæ in qua tam diu peregrinamur penitus ignari, ad curandos Indigenarum morbos accessisse videremur. Illis quidem proculdubio vel aliqua ex parte satisfecimus, qui soliti velut ex insidiis, sed tamen civiliter & honestè, ut videtur, quasique aulico more, peregrinorum famæ & studiis obtrectare, magnam illis industriam tribuunt, multum etiam litterarum, multum studii, multum acuminis & judicii; versatos quoque in Academicis contentionibus esse concedunt: cæterum: *Francis*, inquiunt (nam illi boni, peregrinos omnes, undecumque advenerint *Francos* appellant) *Britannici* soli cœlique temperies ignota est, incognita quoque morborum natura; & nostros ignorant mores, quare non sunt ad nostrates ægrotos admittendi. Quibus ita respondsum volunt, *Hispani*, *Allobroges*, *Helvetii*, *Belgæ*, *Lotharingi*, *Leodienses*. Primum negant eam appellationem omnino sibi cordi esse. Deinde aiunt omnibus in *Magnam Britanniam* appellentibus aëra patere: patere campos & aquas: nec ventos ita solis flare indigenis, quin iis quoque interdum advenæ percellantur. Mores autem quales sint palam esse, nec enim sic in occulto res geri quin peregrinis multum intercedat cum *Britannica* gente commercii. Verum tamen optandum esse ut quemadmodum in *Francia Lutetiæ Parisiorum*, *Patavi* in *Italia*, *Basilea* in *Germania*, in *Lusitania Conimbricæ* studiosis omnibus cujuscumque demum nationis sint & scholæ patent &

panduntur *Nosocomia* & privatæ domus non occludantur, & docta cum Medicis non negantur colloquia, & ad consultandum, concertandumque liber adiitus datur: sic in *Magna Britannia* non aut palam & contemptim arceremur ab omni Medico cœtu, aut clam parum candidis, non enim dicam invidiosis sermonibus differremur. Sed quoniam ea non doctorum & gravium virorum, sed quorundam levium & inconsultorum Juvenum culpa est, & placatè ferimus, & quo minus toti Nationi bene optemus & ubicumque rei & tempus ferat, ipsorum utilitatibus studeamus, nulla unquam obtrectatione, sed ne injuriis quidem, quas à multitudine innumeras magnasque perpessi sumus, retardabimur.

Facilius est irridere quàm imitari.

FINIS.

O B-

OBSERVATIONES
MEDICÆ.

Cambro-Britannicæ:

PRÆFATIO.

CUM multa beneficia divinitus in homines collata sunt; tum nullum aut præstantius aut utilius Medicina donum tribui potuit: quo & prospera valetudo confirmatur, & adversa profligatur. Nam cæteræ ferè artes aut extra hominem positæ, nihil admodum afferunt nisi vanam oblectationem: aut siquid in se præterea continent, id ad corpus vel à morbis liberandum,

vel in robore firmitudineque ac ingenito temperamento ſervandum referri debet. Nam qui poteſt eſſe quiſquam aut voluptatis ullius capax, aut ad capeſſendam rempublicam idoneus, qui perpetuis morbis conflictetur? Sacra vero & cæremonias procurari niſi ab iis qui ſunt integro corpore nefas eſt. Ut quantò medendi ars cæteris utilior eſt atque præſtantior: tantò qui eam perite exercent, reliquis videantur artificibus anteponendi. Quod ſi noſtris temporibus & ars & qui eam profitentur, ſuam apud plurimos æſtimationem amiſerunt: id non tam ipſi arti, quæ ſane per ſe, ipſa & utilis eſt & excellens, quàm imperitis atque impudentibus circumforaneis tribuendum eſt, qui vulgi plauſum captantes; multò majora pollicentur quàm re vera præſtare poſſint, quique intima artis præcepta ignorantes, venena

venena pro medicaminibus propinant. Nec enim leve ſtudium aut parvam naturæ cognitionem ars Medendi poſtulat. Multis litteris cum Latinis tum Græcis, multa inveſtigatione, multo labore, multa ſcientia, multoque uſu ei opus eſt, qui ſe Medicum profitetur. Quod cum jam inde à principio ſuſceptorum ſtudiorum mihi perſuaſum eſſet, eâ inceden. dum via ſum arbitratus, quæ me non errare ſinens ad Apollinis adyta duceret: nec ullum poſtea laborem refugi quò magis ad Medicinam ſanctè nec imperite faciendam idoneum me præſtarem. Neque non ſæpe ſuaviſſimos laborum meorum fructus, magnâ meâ voluptate deguſtavi. Idque cum alias, tum eo tempore, quo in illam Cambriæ partem advocatus quæ vergit ad Meridiem, in eáque totum ferme biennium

versatus permultos equestris familiæ & utriusque sexûs, variis morbis conflictatos, tum propinatis potionibus, tum adplicitis ex arte Medicamentis liberavi. Quod idcirco scribere aggredior, ut quantum in ea facultate profecerim videam, utque ex similium morborum collatione, quid mihi deinceps in hujusmodi casus incidenti, faciendum sit, concludam. Nihil equidem vanè memorabo; sed penitus inspectis cujusque morbi symptomatibus, ac signis accuratè scribam. Ne si nostra scripta in aliorum manus fors detulerit, re universim tantum & incertè propositâ, fallantur. Nam multa reor à Medicis præcipiti laudum cupiditate ductis non satis diligenter nec ex veritate scriptis esse mandata. Indeque sæpenumero multos Medicinæ candidatorum in errorem inductos esse.

De

De *Cambriæ* situ deque moribus incolarum.

SED antea videtur aliquid de ipsa regione deque incolarum moribus dicendum quam ad Observationes curationesque à nobis, Deo nostram secundante operam susceptas, veniamus.

Cambria, *sive* Cambro-Britannia *maxima est provinciarum* Majoris Britanniæ, *divisa in Septemtrionalem & Meridionalem. Illa iterum in sex Comitatus; hæc in septem distributa. Regio est ut plurimum aspera montibus ac torrentibus frequens. Solum tritici ferax; præsertim qua* Tobyo, Cothyoque Salmone *fœcundis amnibus irrigatur. Nec ipsi montes inutiles. Quippe ingentes alunt greges & armenta, ex queis lana coriumque suppeditatur aliis*

Angliæ *provinciis usque ad abundantiam. Ferrum, plumbum, argentum inde effoditur; lithanthraceſque magna copia ad ignis alimentum. Cœlum aſperum ac rigens hyeme, æſtate temperatum. Vento ut plurimum aquilonio, maximè ineunte vere infeſtatur. Incolæ duri ac patientes laboris. Viri fœminæ, pueri puellæque, nudis pedibus per ſaxa, perque nives horrente cœlo ambulant. Avenaceo pane & caſeo vivunt; lac potant, cum per ſe, tum cerviſiæ immixtum. At vero Nobiles non multum concedunt gentibus continentem incolentibus; imo ubi educationis beneficium nacti ſunt, cum humaniſſimis videntur comparandi. Nam & ingenium iis vivax lepidumque eſt, & obvia benignitas & hoſpitalitas, præcipuæ virtutes quibus humana ſocietas devincitur. Suntque inprimis*

primis laudis cupidi; atque ut peregre advenientes haud parca humanitate excipiunt, ſic iis ac maxime, nova afferentibus avidas aures præbent. Litteras non vulgariter excolunt, magnoque honore ac benevolentia complectuntur eruditos. Atque hæc quidem de gentis moribus ac regionis poſitu dicta ſunto.

De morbis quibus *Cambria* eſt magis obnoxia.

AD morbos quod attinet; Tuſſi, Laterum ac pectoris doloribus, horroribuſque ut plurimum infeſtantur. Ac anno quidem milleſimo ſexenteſimo quinquageſimo ſeptimo hyems admodum Auſtrina *ac pluvia exſtitit, ver autem* Aquilonium *ac ſiccum, unde originem habuiſſe haud falsò æſtimatum eſt,*

Epidemicas

Epidemicas illas inteſtinorum difficultates, quæ multos mortalium ad exitum præcipitavere. Quibus qui officiebantur, iis crebræ dejectiones, interdum cum ſanguine, ſemper mucoſæ ac flatulentæ, ſæpe biliosæ accidebant. Tormina ventris perpetua, ſudorificæ febres, mors ut plurimum octavo die, niſi maturè, vi morbi occurſum foret. At verò annus milleſimus ſexenteſimus quinquageſimus octavus ver exhibuit imbribus ferme continuis incommodum; ac longis putridiſque infeſtum febribus. Nec in abſimilem deſivit tempeſtatem inſequentis æſtas anni adeo ut ob imbrium continuitatem, neque demeti triticum, neque fœnum colligi potuerit, quidquid verò collectum; ob humiditatem intra paucos menſes corruptum eſt. Quæ res magnam non hominibus ſolum, ſed jumentis quo-

que

que pernitiem attulit. Ego cum interea temporis à pluribus præcipuæ nobilitatis accersitus essem; haud pœnitendam eis opem in tempore attuli. Fateor equidem, me nunquam nisi timide & implorato Dei auxilio, deque mea industria dissidentem ad ullum ægrum accessisse, neque quidquam præbuisse, nisi ante seriò, multumque meditatum ac paratum. Quæ res haud tamen impedimento fuit quo minus prompte ac oportune subvenirem; tarditatem & negligentiam æque ac præcipitationem aversatus. Et quamquam deplorata interdum ægrorum conditio videretur; eos tamen jubebam bono esse animo, ac ipse magnam de eorum salute spem, præ me ferebam. Quod si fatum inevitabile animadverterem, id amicis ægri significabam, monebamque, eum hortarentur; quo disponeret animum, seseque ad

migrandum

migrandum accingeret. Id ad fidem, diligentiamque Medici ſapientis pertinere arbitratus, ut nec imparatum ægrum, & cum minimo cruciatu, ex hac vita diſcedere pateretur. Mihi quidem quamdiu in Cambro-Britannia *verſatus ſum, pulchre res ſucceſſit, neque quiſquam (cujus beneficii immortales Deo præpotenti gratias ago) mea negligentia, meove errore periit. Neque certe non maximas mihi ſemper, grati memoriſque animi ſignificationes dedere plerique nobilium, quibus opera mea exſtitit ſalutaris: parati, ſi res peteret, ampliſſimum meæ diligentiæ, meiſque laboribus dicere teſtimonium.*

HISTORIA PRIMA.

AC initium mihi curationum in ea regione ab Humfredo Nigidulo fuit. Is Juvenis septem & viginti annorum, humido temperamento, obeso corpore, thorace sublato; scapulis prominentibus, ac demisso collo; cæpit ineunte hyeme pulmonicis affectionibus laborare. Urgebat tussis valida à frerino Catarrho, respiratioque difficilis cum sibilo ac stertore. Vomitio frequens, præsertim ab absumptis liquidis infestabat, aderat quoque febris continua, cui molesta sitis accedebat, fatiganteque Vigiliæ. Venationi autem usque adeo oditus erat, ut ab agitandis feris nulla tempestate dimoveretur. Et cum anguste admodum incommodeque habitaret, domo vetere disturbata in colle cepit ad oram maris laxius ædificare; ac diu noctuque operas

operas urgens, inter recentes humidosque parietes cubitabat, genialique interdum potu cum amicis ducebat noctes. Cum igitur mali acerbitate coactus me acciviſſet, ſtatim ad perveſtigandas perſpiciendaſque morbi cauſas animum adjeci.

Ratiocinatio in hanc hiſtoriam.

Omnis coagmentatio corporis vel calore vel frigore, vel aliqua impulſione vehementi labefactatur, & frangitur, & ad morbos ſenectutemque compellitur, quemadmodum divinitus eſt à *Platone* pronuntiatum. Certe humanum corpus, ita compactum eſt, ut non ſolum à ſeipſo inſitiſque & ingenitis principiis laceſſatur, ſed externarum quoque rerum injuria ad interitum impellatur. Vere tamen illud affirmaverim; qui firma beneque temperata corporis conſtitutione orti, inque lucem editi ſunt: ſi nullo rerum exterarum impetu conflictentur, eos incorrupta ad longiſſimum tempus ſanitate, vitam producere. Quare externæ evidenteſque cauſæ ad excitandos morbos agere neceſſario debent. Nec enim corporis internarumque cauſarum firma conſtitutio niſi exterarum impetitione commoveri poteſt, deque naturali ſtatu dejici. At ubi externæ cauſæ cum internis conſpirant, tum vero peſſumdari hominem neceſſe eſt. Quod quidem in hoc egregio Juvene videmus. In quo temperamentum humidum calidum immodicis venationis equitationiſque laboribus, hyemali pluviaque tempeſtate, ac humenti habitatione agitatum, ac penitus conturbatum eſt.

Vehemens

Vehemens agitatio corporis, quæ venando ſuſcipitur, redundantes in obeſo corpore humores jam ad defluxionem pluvia tempeſtate diſpoſitos reſolvit. Hos manantes è capite inclementiæ cœli obnoxio, pectus amplum aliquandiu fovit. Sed eorum tandem acrimoniam ac perpetuum fluxum moleſtè infeſtantem, concuſſis muſculis extuſſire moliens, pulmonis inflammationem hoc violento niſu peperit. Febris, ſpirandi difficultas ac ſitis, hujus quam περιπνευμονίαν appellant *Græci*, haud indubitata ſigna extiterunt. Incumbens cordi pulmo, ſummum ducendi ſpiritus laborem patiebat. Stertor à præcluſis humore influente reſpirationis viis oriebatur. Sitim ac linguæ ſiccitatem, acrimonia calidita ſque afferebat. Ptiſanam aliumve liquorem, ideirco vemitio ſequebatur quod liquidis, ferus Catarrhus, alereiur, augereturque ſpirandi difficultas, compreſſo nimirum diaphragmate, ac thorace diſtento; revelleretur, partium conſenſu ventriculus. Denique ſomnum arcebant acres calidique vapores è ſtomacho exſpirati.

Inveſtigatis hunc in modum morbi cauſis, ſtatui fluentem è cerebro humorem eſſe ſiſtendum, tum dandam operam ut qui jam in Thorace magna copia continebatur, primum coqueretur, deinde expectoraretur. Quare ut quam parciſſimo potu uteretur, edixi, ciboque tenui admodum & reſiccante. *Indicatio.*

De

De Sanguine autem detrahendo, ne cogitavi quidem, propterea quod intelligerem, περιπνευμονίαν ἐκείνην haud esse veram ac primariam, sed è catarrhò prognatam: deinde non statim à principio, sed invalescente morbo, meum erat imploratum auxilium. Quo minus id agerem aliæ quoque rationes impediebant, eæque non leves.

Leonardus Fuschius, de morbis medendis lib. 2. c. 9. sanguinem detrahi vetat in iis qui ex aliis morbis in peripneumoniam incidunt, maxime si diu in hoc statu fuerint, vel per initia sanguinem miserint,

θεράπεια. Verum eorum ego sententiam secutus sum, qui blandum cathartricum esse propinandum existimant, quod eo magis feci quod maximum humorum orgasmum animadvertebam: nec febris erat admodum vehemens. Exinde curam verti ad Thoracem, ac pulmones expurgandos. Quod præstiti eclegmate è pulmone vulpis, ac tabellis *Becchicis* non omissis interim linimentis ex oleis *Myrtill.* & *Chamæmil.* Sed enim cathartico illo (quod liquidum erat & blandum & paucum) corpus tantum universim quasi præparaveram expurgata inferiori regione. Quare ad caput & fontem mali cerebrum humore morbum alente liberandum, pillulas Coccias, & Olephanginas ad ℈i. imperavi. Quæ quidem pilulæ purgant, ac mirificè recreant. Ab his, veterem rosarum condituram cum olibano, thure, ac myrrha, adjectis Labdani granis [illegible] cum ad somnum provo-

candum, tum ad sistendam fluxionem. Ac deinceps operæ me pretium facturum duxi, si ptisanam cum uva passa, Jujuben, Sebesten, Hyssopo, Glicyrrhiza propinarem.

Catharticum blandum, blande purgavit. Paucum erat & lympidum, paucum quod animadvertissem ægrotanti nocere potulenta. Limpidum quod quæ potiones Spissæ sunt & Catholicone, aliisve electariis mixtæ, nauseam pariant, torqueant ventrem, & multo plures pravos humores gignant, quàm expurgent. Blandum denique fuit, quod jam commoti erant humores, levique ad extrusionem indigere videbantur auxilio. Postremo liquida forma propinatum est, quo & facilius & promptius per venas diffusum, eas infractu liberaret. At vero pilulas insequutum est alui profluvium tam repentinum ac tantâ violentiâ, ut amplius trigesies æger intra viginti quatuor horas subsideret; cujus causam inquirere operæ pretium fuerit. Pilularum Alœphangiarum sive Aromaticarum scripsulum unum, tantundemque Cocciarum præscripsimus. Alephanginæ, in quibus Aloe, præcipuum, imo solum purgativum est, alvum adeo perturbare non potuerunt. In Cocciis Turpethum, colocynthis ac dacrydium, vehementer quidem movet, at tum exiguâ quantitate, tantam afferri perturbationem haud potuisse existimo. Alias ad id evenisse causas reor. Erat

Effectus.

tum

tum hyems pluvia, brumaliſque tempeſtas æger humido corpore, humorum magna à naturâ tempeſtateque facta conturbatio. Quare nihil mirum eſt, ſi jam ſuapte natura concitatus humor, adhibito levi pharmaco, magno impetu dejectus eſt. Fieri quoque potuit ut Pharmacopæus ſive negligentia quadam, ſeu feſtinatione Maſſam unde eas pilulas efformaverat, haud exactè mixtam piſtamque habuerit, adeo ut dacrydii atque Turpethi major quantitas quam pro reliquorum medicaminum proportione, in his pilulis quas ægro dedit, ineſſet. Quid quod impari etiam die præbitæ ſunt, id quod fieri vetat *Hippocrates*? Denique juvit Pharmacum cerebri conatus, quo identidem, ut pulmones liberare ſe infeſtantibus humoribus, & eos in inteſtina detrudere moliebatur. Id quod ita feliciter accidit, ut intra paucos dies æger ſaluti reſtitutus ſit. Nam Vigiliis quæ peripneumoniæ ſupervenientes, fatales eſſe ſolent, Ladano proviſum eſt.

Hiſtoria

HISTORIA 2ª.

NOndum plane convaluerat ille Juvenis, cum à Doctiſſimo Clariſſimoque *Gulielmo Nicolſonio* litteras accepi quibus à me petebat ut nepotem ſuum ope Medica ſublevarem. Eum enim incredibilis inteſtinorum, dolor adfligebat, cui leniendo fruſtra omnia fecerat uſus cujuſdam circumforanei conſilio. Nunc lævum, nunc dextrum latus dolore urgebatur, ſæpe magnis torminibus umbilico circumjecta regio appetebatur, nauſea ferme continua cibique faſtidium. Si quid autem eſculenti, potulentive eſſet injectum, ſtatim revomebatur: neque quidquam interea dejiciebat, adſtricta funeſtum in modum alvus. Sed nihil æque mœſtum ægri animum frangebat, ac vigiliarum moleſtia. Quare omnibus ac imprimis Avo uxorique deplorata ejus conditio videbatur. Ac tum annum agebat ferme trigeſimum, nigro capillo, fuſco vultu, dejectis oculis, quæ omnia bilis atræ dominationem arguebant. Moribus erat cæteroqui temperatis; & fundo quod illi & amplum & commodum erat, colendo deditus, privatam & publicorum ſecurâm tumultuum vitam agebat.

Statim igitur ut in Villam veni diligenter ægrum intuitus, & ab eo quæ ad rem pertinere *Ratiocinatio.*

tinere arbitrabar ſciſcitatus: intellexi colon inteſtinum, lentâ craſſâque & aduſta materia induratiſque fœcibus infarctum eſſe. Dolorem inde graviſſimum exoriri pro variis & amfractuoſis ejus inteſtini ſinibus mutabilem. At circa umbilicum, multo ſentiri acerbiorem, non ſolum ob flexuras & mæandros, anguſtioris illic inteſtini; ſed etiam ob nervacea vincula, quèis colon & renes invicem lumbique colligant. Non mediocriter autem ad infarciendum impuris humoribus inteſtinum contulerat frigidorum & craſſi ſucci ciborum uſus & eruditas, cerviſiæque fuliginoſæ, ſpiſſæ, ac ſemicoctæ potus. Nam æger ipſe quidem haud erat intemperans; ſed enim popularibus, ſocietatique, & ptavo compotandi mori dandum aliquid fuit, quibus illectus, ne videlicet inurbanior ac reliquis agreſtior videretur; ſibi paullo magis quàm & ſoleret & par eſſet indulſerat.

Solicitio. Quæ cum obſervâſſem, cumque viderem tot ægrum urgeri malis, ſapientis eſſe Medici ſum arbitratus, ad id quod gravius adfligebat Medicinam adhibere. Quemadmodum autem animo nihil accidere poteſt, peccato calamitoſius, ut ſapientes Chriſtiani docent; ita corpori, nihil dolore funeſtius eſſe exiſtimo. Vires exhaurit, facultates labefactat, ſolutâque animi cum corpore ſocietate, hominem ad interitum præcipitat. Quare ne hunc ægrum violentia doloris interimeret, ſtatim ejus lenicndi rationem inivimus

Tum

Tum ad fœces emolliendas deturbandasque operam vertimus; denique rite purgato corpore, intestina ventriculumque roboravimus selectis idoneisque remediis.

Maluam, Althæam aliasque herbas emollientes, adjectis carminativis seminibus, in sero lactis elixandas, ac in liquore percolato; lenitivum quem vocant electarium ad ℈ℓ, dissolvi, oleumque Rutaceum ac Laurinum pari quantitate dissolvi entavi, idque injici singulis fere quadrantibus horæ, decumbente in ventrem ægro. Placuit etiam herbis emollientibus, rutam, hyssopum, absynthium, mercutialem, chamæmelum ac majora adjici tum ad incidendum, tum ad detergendum. Ventorem vero fovimus oleis ex lauro atque chamæmelo simul commixtis cum aceti pauxillo. Victum interea tenuem imperavimus, quale est evenatum, uva passa corynthiacisque conditum & sacchato. Duobus inde diebus ægro pharmacum propinatum ex decoctis sennæ foliis, infusaque radice barbara. Postera vero die detergentia clysmata, reperenda esse arbitratus sum. Quod cum fortunate actum esset, ægrum jussi totam diem insequentem quiescere. Postremò omnium, intestina vino austero quo torem marinum salviamque incoxeram, confirmavi, præcepique ut mane ac vesperi cyatho adusti viri quale solent *Angli* parare per tres quatuorve dies uteretur, mane præsertim & sub cœnam.

Omnia

Eventus. Omnia vero ita fœlicem exitum habuere, ut à tertio quartove clystere doloris acerbitas remiserit, atque cœperit æger quietem aliquam & somnum oculis sese insinuantem persentiscere. Cum vero formina repeterent, injectiones iterare jubebam, nec minus levaminis à calidis fotibus capiebat. Ergo nondum exacto triduo, liberatis infarctu intestinis, & cibum retinere ventriculus, & alvus expulsionis officio fungi. Tum nobis sese dare oportunitas visa est, Melancholiæ dominantis medicata potione vacuandæ. Et quoniam interest plurimum ab initio quis rectè curatus sit an perperam; si quid à Pharmaco relictum esset in intestinis, id omne repetitis ablutum injectionibus abstersum est. Nihilque commissum, quominus & ventriculus, & intestina confirmarentur. Itaque intra diem nonum plane convaluit, summa uxoris avique & omnium necessariorum gratulatione, nec minore mea & lætitia & fama. Ἀλλὰ Θεῷ μόνῳ τιμὴ καὶ δόξα εἰς αἰῶνας.

Historia

HISTORIA 3ª.

SED quoniam in Colici doloris mentionem incidimus, non eſt nobis prætereundus *Sparkius*, Calcearius, homo minime malus in *Haverfordiæ* ſuburbanis habitans. Is diuturno ventris cruciatu laborabat. Pubem inprimis ac lumbos, infeſtiores habebat doloris acerbitas. Meiendi deſiderium frequens, quamvis & paucam & crudam, & cum ingenti labore urinam emitteret. Noctes ac dies ſæviens dolor nullum ſomni capiendi miſero locum dabat. Nec *Sparkius* quo ſe tam diro cruciatu liberaret, quidquam intentatum omiſerat. Ergo & medicatæ potiones, & linimenta, & clyſteres nequicquam adminiſtrati, & quo plura adhibebantur præſidia, eo magis dolor acerbabatur.

Quicumque hominem noverant eum exiſtimabant arenulis & calculo laborare. *Ratiocinatio.* Mihi fortaſſe tum in *Tembrokienſi* agro verſanti à pluribus præcipuæ nobilitatis, queis carus ob probitatem erat, obnixè commendatus eſt. Quem cum vidiſſem, judicavi cruciatuum illorum non in colo inteſtino, neque in veſica, ut multi rebantur, ſed in peritonæo, membraniſque abdomini obtentis ſedem eſſe; eorum materiam, flatum eſſe ac bilem. Et erat *Sparkius* biliosa complectione, ex ejuſque incerta & incon-

flanti vitæ ratione multam bilem in eas partes natura averterat.

Ergo & lenienda bilis acrimonia fuit, & bilis ipsa vacuanda, & inducenda melior ac firmior intestinorum, totiusque corporis dispositio.

Indicatio. Primum ac Secundum propinato lactis sero præstitimus; tertium effecimus optuma vivendi lege propositâ. Fumariam, Thymum, Gramenque atque Taraxacum sero lactis adjecimus; utque puro lactis sero antemeridiani potus vice uteretur, monuimus. Id quod fecit.

Eventus. Nec totos septem dies nostris consiliis paruerat cum penitus convaluit. Ac hunc annum agit à curatione sua decimum quartum omnis expers ægritudinis. Cujus rei Deo qui vires Pharmacis indidit efficaces honos tribuatur.

Historia

HISTORIA 4ª.

NEC indictam hoc loco sinemus obstetricem. Ea primam se mihi curandam obtulit è *Francia* in *Meridunensem* agrum advenienti. Agebat annum circiter quinquagesimum, vasto & pingui admodum corpore. Niger erat capillus, vultus candore ruboreque perbelle mixtus, acres & nigelli oculi, temperamentum humidum, mores sinceri & hilares. Cæterum ut nonnihil edax erat, quicquid collibuerat, avidè deglutiebat. Et cum sub autumnum cœlo pluvio, ad nundinas quæ in suburbano agebantur, se contulisset, vehementi admodum lienteria correpta est. Non erat ullus intestinorum dolor; at cibi uti injecti erant, crudi nec fere quidquam immutati per secessum emittebantur. Quo factum est ut dejectis paucos intra dies viribus, vitæ periculum metueret. Nec vanus erat timor, si non in tempore subventum esset.

Eam Intestinorum lævitatem, non solum labefactata ventriculi coctrice facultate, sed etiam resoluta intestinorum retentrice originem habuisse haud difficile conjectu fuit. Eam quoque imbecillitatem ab edacitate, festinaque ingluvie illatam, ac collectam in ventriculo intestinisque pituitam, pluvia denique tempe- *Ratiocinatio.*

ſtate commoram eſſe. Pituitam autem id mali peperiſſe, ex dejectionum colore certum erat. Ac eam pituitam neque acrem, neque erodentem eſſe idcirco judicabam, quod ægra ſine ullo dolore dejiceret.

Indicatio. Quoniam igitur nullus adfligebat dolor, fluxioni locum aliquandiu dandum eſſe cenſui; tum ventriculum excrementitiis liberandum humoribus; quibus ritè paractis ſiſtendo fluxui adhibenda adſtringentia; ab his denique roborantia ex uſu fore.

Præparatio. Quare purgationis inſtar is fluxus exſtitit, cui totam diem liberam ſivimus, ſatis eſſe interea temporis æſtimantes, ſi ægram pareo potu, pauciſſimiſque uti cibis, iiſque calcidis juberemus. Poſtera die catapotia ex aloe præbuimus, quæ reliquias excrementitiæ pituitæ, ventriculi tunicis inhærentes, ſine violentia diſturbarent. *Angelicæ*, *Ariſtolochiæ*, & *Elenii* radices certo pondere cum aloe conjunximus. Tertiam inde diem voluimus, ab ægra quieti dari, ad uſque tempus veſpertinum, cum balauſtriorum ex auſtero vino decoctionem, injecimus, quod aliquoties repetitum eſt, poſtremo condituram ei ſidoniorum cum cinnamomo ſumendam ante paſtum, apparavimus.

Eventus. Quod non ſtatim ad defluxionem reprimendam animum adjecimus, commodum fuit. Magnum enim videbamus imminere febris periculum, ni ſponte mota

mota alvo, ventriculoque perturbato, natura supervacaneis humoribus exonerâsset. Catapotia vero mirifice profuerunt. Nam postera die digerere, ægra cœpit, instaurata nimirum ventriculi facultate. Et ab injectione fluxus omnino repressus est, recuperatisque viribus ægra bene se habuit. Ac Authori valetudinis Deo, uno, vero, sempiterno laus sempiterna.

HISTORIA 5ª.

VEniet etiam in numerum Matrona ab antiqua & nobili familia, nisi sordidis & incultis moribus, vitæque pravitate indignam se majorum claritudine præbuisset. Ejus maritus & ipse ad *Belgicam* familiam claram & illustrem, genus referens militiam *Anglicanam* aliquot annos secutus erat. Is igitur me ad auxilium ægræ conjugi ferendum interpellavit. Veni, vidi, curationem aggressus sum. Ventris autem acerbissimis doloribus diu noctuque distorquebatur, adeo ut ne momento quidem temporis quiesceret. Nihil dejiciebat, singulis fere momentis, bilem flavam vomebat, lumbi quoque gravissimis doloribus afflictebantur. Aderat etiam febris ex doloris vehementia & motibus convulsivis agitabatur. Totque affecta confectaque malis vix ullam salutis spem

circumassidentibus amicis relinquebat. Erat vero temperamento calido, firmaque constitutione, sed moribus improbis, iracunda, jurgatrix, clamosa, loquax, contumax, viri contemptrix, contumeliosa hospitibus, reique familiaris augendæ adeo cupida, ut fas nefasque, sacrum ac profanum juxta haberet. Atque ut iis evenit qui cauponam faciunt, vigiliarum, cibi, potusque nullus erat modus. Hyeme vero & nivali & perfrigida ægrotabat.

Ratiocinatio. Bene omnino Romani veteres, quidquid magnam afferret humano generi utilitatem, id non sine divina erga homines fieri voluntate arbitrabantur. Itaque & Salutem inter alias virtutes consecratam esse voluerunt. Cujus quia vim tantam videbant esse, ut sine Deo, neque regi neque conservari posset, ipsa res Dei nomen apud illos obtinebat. Certè non satis est firmum ac vegetum, beneque constitutum, à natura corpus obtinuisse, nisi enim mens adsit & curis vacua, & cupiditatibus imperans, breviſſime robur omne, firmitudoque temperamenti labefactabitur. Si sciviſſet, animo moderari hæc matrona, potuiſſet integram in multos annos valetudinem conservare. At immodicis corporis laboribus, mentis insuper anxietatem ac sollicitudinem adjungens, & cibum ac potum sine modo, sine lege, sine delectu sumens, magnam excrementitiorum humorum colluviem cumulavit, qui tandem

dem ingentes ventris dolores peperetunt. Nec erat in ventre ut videbatur, sed in utero doloris principium, sicut eventu non dubitato comprobatum est. Certè uterus quemadmodum nobis procreandis efformandisque instrumentum idoneum, accommodumque domicilium ab opifice natura, mirifice fabrefactum est: ita genitricibus nostris, multorum sæpe malorum periculosorumque sentina morborum existit. Cujus ea structura est, is situs, ut cùm illabentes à superioribus partibus humores, excipiat; tum ab irrumpente extrinsecus aëre seu frigido, seu calido, facillime lædatur. Nec minimum facit ad dolorem augeudum, quod eximii sensus est particeps, ob eos nervos, quos è quinta lumborum conjugatione tum ad firmitudinem, tum ad eam motionem accepit, quæ illi & ad excludendum fœtum, propulsandaque supervacanea necessario tributa est, & ad noxia fugienda. Quæ cum ita esse intelligerem, dolores illos quibus hæc Matrona discruciabatur, tum ex retentis menstruis excretionibus, tum ex frigore flatibusque ortos esse, haud falso judicabam. Retentionem verò deiciendorum, fieri compresso intestino. At vomitum excitari, non modo bilis acrimonia redundantiaque prægravato stimulatoque ventriculo, sed etiam eodem revoluto, cum ab oppletis fœce intestinis, tum à vulva sursum se retrahente. Nec unius coloris bilis existens, variam indicabat origi-

nem. Quippe flava pallidaque præsertim ab hausto pharmaco, viridis verò sponte rejiciebatur. Hæc igitur à ventriculo, illa & ab intestino quod Jejunum appellatur, & à jocinore redundabat, si *Galeni* dictis est fides. Lumborum dolor ex sympathia oriebatur; Convulsiones læsi humoris acerbitate nervi, adque suum se principium retrahentes, afferebant. Quæ mala eò magis in dies ingravescebant, quod ægra omnis impatiens præsidii, nec vino nec lacte, nec noxiis cibis abstinebat, vixque poterat cubiculo retineri. Itaque prope fuit, ut inter summos dolores, agitationesque convulsivas animum affla-ret.

Indicatio. In administranda Medicina duo inprimis spectanda sunt, adfectus præter naturam, & ægri constitutio. Tollendus effectus, æger servandus, adfectus autem nomine & morbum & ejus causam & inde producta symptomata, hic intelligi volumus. Quoniam vero qua de ægra nunc agimus, firmis erat viribus, ætate florenti validoque corpore; summis utendum censuimus præsidiis, iisque multiplicibus, ad extremum, multiplicemque morbum expugnandum. Dolori tamen symptomatum infestissimo quam primum reprimendo mentem obvertimus. Tum intestinis ventriculoque acri contumacique materia repurgandis, datum est pharmacum, non omissa interim uteri cura. Postremo uterus ipse, infestanti humore liberatus, totum-

totumque corpus, ad priſtinam eſt conſtitutionem revocatum. In queis omnibus peragendis placitum illud *Hippocratis*, diligenter nobis obſervandum propoſuimus, ἃ δεῖ ἄγαν ὄντα ἀν μάλιστα ῥίπτη ταύτη ἄγαν ἀπὸ τῶν ξυμφερόντων χωρεῖν.

Et quamquam dolor acerbiſſimus ægram urgeret, tamen narcoticis quæ eſſe periculoſiſſima intelligebam abſtinens, Enematis uſus ſum & unctionibus anodynis. Intereſt enim ad perfectam ſanitatem ex tanta medicamentorum varietate, quæ natura providens ſuppeditat, optima ſelegiſſe. Fuere autem Enemata ex Carminativis & mollientibus addito Lenitivo Electario. Fomenta vero ſive unctiones ex oleis Chamæmelino, & Hyperico. &c. Tum, propterea quod moleſtiſſimus erat, ac frequentiſſimus vomitus, naturam adjuvimus, datis Emetici pulveris granis admodum ſex, cum vini albi cyatho. Sed Enemata tres dies continuata; ſubque veſperam diei tertiæ injecta Metrenchyta, die vero poſterâ pulvis Emeticus præbitus eſt. At reliquis deinceps dedimus operam, ut ſingulis ferme horis Obſtetrix, Metrenchyta miniſtraret ex vino rubro, ſampſucho, rare marino, angelicæ radicibus, &c. ad inſtitutam curationem accommodis herbis radicibuſque compoſita. Nec certis intervallis emollientes detergentesque clyſteres, omiſſi.

διαπέμπει.

omissi. Atque apertis hunc in modum viis blandum cathárticum ex radice barbara comparatum & agarico, propinatum est. Opiata deinde, ut vocant, medicamenta ad ventriculum roborandum dedimus certamque præscripsimus vivendi legem, quam Matrona jam convalescens paucis diebus servavit.

Eventus. Antequam Emetico pulvere uteremur multa pituitam ægra per superiores partes rejiciebat; nihil omnino per inferiores. Ergo superioribus multa bile, multoque phlegmate repurgatis, velut ex quadam consecutione inferiores quoque infarctu liberari necesse fuit. Idque ita ut volebamus evenit. Nam haud ita multo post cum Enematis excrementa prodiere, dolores remisere, desiit vomitio. At singultus & spasmus & animi deliquium sub ejus diei horam admodum secundam superveniens, quo die Emeticum hauserat, omnes circumassidentes, tenuit aliquandiu perturbatos. Et pro deplorata ægra relicta est ab omnibus. Ego solus restiti erecto, beneque sperante animo quamquam scirem illud à Seniore pronuntiatum,

Aphoris. Sect. 7. 3. ἐπὶ ἐμέτῳ λύγξ καὶ ὀφθαλμοὶ ἐρυθροὶ κακόν. Et illud aliud

Aphoris. 4. Sect. 5. ὑπὸ καθάρσεως σπασμὸς ἢ λυγμὸς ἐπιγινόμενον κακόν· videbarque fecisse contra decretum illud:

φαρμα-

φαρμακεύειν μὲν θερέος μᾶλλον τὰς ἄνω· χειμῶνος δὲ τὰς κάτω. At enimvero τὴν τῆς φύσεως ὁρμὴν, secutus eram: deinde videbam mihi naturam imitanti, & quo ducebat sequenti viam per superiora factam esse, secundum illud Magni præceptoris placitum, ἢν μὲν ἄνω βούληται ἔυροα ποιέειν, στῆσαι τὴν κοιλίην, nimirum superioribus ductibus sponte fluxilibus effectis quo tempore natura alvum continuerat. Ego imperturbatus ejus convulsionis causam agnovi quæ partim à vaporibus turbidis cum flatu ad nervos sublatis, partim ab ipsorum nervorum humiditate supervacanea, mihi visa est originem habuisse, huicq; propere medendum putavi hac ratione; primum ut odorem naribus admoverem, sternutationis provocandæ causa ὑπὸ γὰρ λυγμοῦ ἐχομένῳ πταρμοὶ ἐπιγένομενοι λύουσι τὴν λυγμὸν. Tum ut colli vertebras & basin cerebri perfricarem ungeremque oleis ad eam rem comparatis, deinde pharmacum ex vino, cinnamomo, succo limonum & pœoniæ radice dilutum ac temperatum præberem; interjectoque pauco tempore alimentum solito auctius administrarem, denique fessam malisque fatigatam, silentio, quieti, somnoque relinquerem. Atque

Aphoris. 4. Sect. 4.

Aphoris. 7. Sect. 7.

Aphoris. 13. Sect. 6.

que illud quidem meum consilium, eum quem mihi proponebam, successum habuit. Nam somnò recreata, sensim vires recipere, surgere, nutriri, omniaque convalescentis obire munia. Quare intra alteram septimanam in publicum ea prodiit. Cui illud quoque ad cumulum fœlicitatis accessit, ut cum jam inde à septennio parere desiisset, fœcundata, prospero partu fœminam enixa sit. Exinde multo quàm antea firmior ac valentior vixit nec ullo quod sciam morbo appetita est. Digna tamen quæ immortali ob immemorem animum infamia inuratur. Sed nos ejus perfectæ curationis Authorem deum veneramur, ac demisse precamur nostris ut non desit conatibus.

Historia

HISTORIA 6ª.

HAud ita multum absimili adfectu percelsam in eodem oppido, diversitoris uxorem nostra quoque persanari opera voluit Deus. Querebatur de dolore rotum abdomen, maximè qua umbilicus est, deinde renes occupante. Cujus ea feritas erat, ut nullam diei noctisve partem, torminis immunem effluere sineret. Febris tamen haud erat ulla. quamquam interdum calido sudore ægra diffluereret, difficilime spirans, quidquid præbitum esset, vix ingestum stomacho, statim vomebatur. Mejebat urinas tenues & paucas, per alvum vero nihil prodibat. Ac ii dolores supra mensem integrum infestam habuere. Ejus mulieris temperamentum humide calidum judicavimus, adeo tamen ut calor humori præstaret, bilis vero, in sanguinem, dominum obtineret. Vitam vero liberam agebat & intemperantem, hilarem tamen, nec ita multum obnoxiam iracundiæ. Vino hispanico, adusta cervisia, calidisque pocillationibus inter sodales sæpiusculè convivans indulgebat.

Rationis natio.

Jamque aliquandiu ægrotaverat cum ad ei succurrendum vocatus, veni. Ac mihi quidem de morbi symptomatis scisciranti, colli dolor esse, primùm videbatur, sed cum adhibitis medicamentis non modo non cederet,

cederet, sed ingravescceret magis, propius omnia considerans, deinde suspicabur lato Lumbrico intestina depasci, quæ ne falsa suspicio videretur, faciebant aliqua signa, quibus *Spigelius* ait *Taniam* cognosci posse. Re quidem verâ longos ac rotundos vermes mulier ostenderat, medicata potione extrusos, quam in eum finem propinari jusserat. Tandem ut omnia perlustravi consideratiùs, permultis implexam malis affectionem reperi. Tumque subiit animum recordatio eorum quæ de intestinorum usu ac positione, devinctioneque ex Anatomice didice am. Cujus scientiæ si quis expers ad Medicinam faciendam accesserit perinde fecerit ac ille qui rempublicam ex carta gubernare instituerit. Non enim intestinum illud crassum quod à *Græcis κῶλον* appellatur ita solum affectum erat, quin renes etiam queis connexum est, in doloris consensum traheret; & in epiploon & in mesenterium, & in ipsum quoque peritionæum integumentum, utpote conjunctas multiplici colligatione partes, humoris morbum generantis contagium serperet. Dolor toto diffusus abdomine & à renibus ad inguina pertinens, meæ sententiæ fidem faciebat. Ex dolore sequebatur frequens parva difficilis spiratio, & sudor & anhelitus & suspiria. At vero cum omnis dolor, ut *Galenus* Author est, vel à tentione, vel ab intempetie partium oriatur, haud difficili conjectura deductus sum ad humoris dominantis investigationem. Nam in

Comment. 1. in lib. 1. Epidm. cap. 10.

hac

hac quidem muliere, non ſimplicem intemperiem, tot afferre mala ex antecedentis vitæ licentia judicabam: adducebarque ut crederem, ex bilis redundantia non obſtrui ſolum ſed etiam diſtendi partes, & ingenti calore affici, unde tanta tamque diuturna, doloris inferretur acerbitas. Ægrotantis ætas, temperatura, moreſque magnum ad meam conjecturam momentum afferebant.

Quæ cum' conſiderâſſem, unam mihi deinceps morbum generantis humoris vacuationem propoſui. Videbam enim humore vacuato, tenſas partes infarctu liberatum iri; partibus deinde ad ſitum reſtitutis humoreque noxio liberatis nativam redditum iri temperiem. Ac ne vacuationem illam quidem, uno omnem tempore medicamentove conferrim faciendam duxi, ſed certis intervallis, habita ratione & loci & tempeſtatis & conſuetudinis, per omnia præcipienti Hippocrati obſecutus. Ergo primum mihi curationis incœptum à ventriculo fuit. Nihil enim intro ſumi poſſe animadvertebam, quamdiu excrementitia bile ventriculus inundarerur. Tum ad dolores inteſtinorum ac renum mitigandos gradu facto, tori denique corpori priſtinam reſtituere temperaturam molitus ſum. Id quod ſelectiſſimis in hunc modum, præſidiis præſtitum eſt. *Indicatio.*

Temperandæ & ad vomitionem præparandæ bili ſcilliticum Oxymel, citreo mixtum ſyrupo exhiberi ſemel atque iterum *Ἰησις*

præcepi-

præcepimus. Deinde porreximus infusionis croci metallorum ℥ii tantundem oxymelitis simplicis, in quo incocta erat Radicis asari ʒiß. scrup. violacei itidem ℥i & scriptulum salis prunellæ. Sequenti die Althææ, parietariæ, betæ, violarum, Lauri, absynthii decoctione in sero lactis facta, tum Electario lenitivo, melleque violaceo ad semunciæ pondus in ea dissolutis eluimus intestina. Ab his apozema præscripsimus Radicibus apetientibus, baccis Juniperi, floribus genistæ & syrupo althææ constans. Inungi quoque totum abdomen malagmate ex oleo violaceo, myrtil. Laur. & unguenti alth. partibus æqualibus. Exinde cum radicis barbaræ & agarici dissolutionem syrupo dulcefactam Rosaceo dedissemus, ægram postremo in balneis aquæ tepidæ collocavimus iterum ac tertio, usi antea Metrenchytis, ut nulla corporis regio remaneret, excrementitiis humoribus inquinata.

Eventus. Ex quibus consecutum est ut ægra non modo formidandis intestinorum doloribus liberaretur, sed pristinam quoque & optatam valetudinem recuperaret: & paulò post, conjugis amplexus appetens, impræg-naretur, cum jam inde à multis annis concipere desiisset. Atque utinam recuperatæ sanitatis gloriam Deo, nobis autem aliquam grati animi significationem dedisset.

Historia

HISTORIA 7ª.

EJusdem mulieris conjux paulò ante ipsam ægrotaverat; ei dolor omnes artus afflixerat, non secus ac si fustibus ictus esset. Febris etiam incendebat ardore suo viscera. Inde sitis & suspirioſus anhelitus. Erat homo siccæ, calidæque temperaturæ, & in quo bilem supra reliquos humores obtinere principatum facile quivis agnoscerer. Longi labore itineris, equitationeque fatigatus domum redierat. Nec ut diversitorum mores sunt, nocturnis compotationibus, diurnisque discursitationibus moderabatur.

Ex omnibus opinionibus ac sententiis in quas Medicorum schola divisa est, ea mihi *Galeni* principis judicium, jam hinc à primo die studiorum meorum veneranti, verisimillima, præstantissima, cæteriſque præferenda videtur esse, quam ij tenent, quos ab ipsa nomen accepisse ratione consentaneum fuit. Nimirum hominem una maxime ratione, reliquis animantibus excellere, nec incassum illi celeres ac plane mirabiles animi motiones agitationesque tributas esse judicantes, eas ipsas magna solertia adhibent, ac augustum illud sanctumque, ac divinitatis particeps animal à morbis vindicandum, & quantum ipsius mortalitas patitur longissimo tempore in hac, *Ratiocinatio.*

hac, in qua deus illum posuit, statione conservandum. Alii magnam ad morbos profligandos experientiam usumque diuturnum adferendum putantes, observationes quoque & historias sedulo memoriæ mandant. Bene illi quidem. At non animadverterunt, & experientiam sæpenumero fallacem esse, & observationes sine ratiocinatione nequicquam fieri: & in historiis, cum ut plurimum desideretur veritas; eas ad eventus morborum prævidendos prædicendosque minimum habere momenti. Sunt qui solam damnantes experientiam, communia præcepta comminiscuntur, evidentiumque causarum cognitionem aliquid ad rem facere non inficiuntur. Sub duobus illi generibus, omnes morbos constituunt, adstricto & laxo; inde sumentes indicationem. Nec vident & insulsam hanc, mutilamque distributionem esse; indeque nec certas nec satis perspicuas indicationes peti: & causarum evidentium nullam esse vim ad morbos pariendos, si non cum efficientibus conjunctisque simul agant. Longe doctius ac sapientius rationales, qui cum omnia quæ apud Empyricos, Methodicosque utiliſſima, certiſſimaque reperiuntur adhibuerunt, tum his & naturæ scientiam addendam putant, & temperamentorum differentias & totius corporis cognitionem, & signorum symptomatumque diligentem investigationem. Si quis igitur Empyricus ad hunc ægrum accersitus esset: statim dixisset, apud se præ-

præstantissimum esse remedium, usu multo & experientia frequenti comprobatum. Si Methodicus; Morbi genus esse adstrictum, inconsultò pronuntiâsset, proinde necessariam esse laxationem. Ego Rationalis, *Hippocratisque* & *Galeni*, Scholæ nostræ principum præceptis institutus, ut ad ægrotantem accessi, naturam atque temperamentum ejus attentè contemplatus, sagaci deinde animo anteactam vitam, moresque pervestigans, jacentisque faciem ac totum corpus oculis dimensus: sciscitatus quoque de excretis & retentis, de somno de vigilia, deque reliquis morbi adjunctis, primum omnium symptomatum dolorem reperi. Ex dolore animadverti, fieri mutationem in decumbentis natura, unde necesse esset magnam ab eo molestiam persentisci. Ac rem paullò altius repetens, intellexi ex immoderatis laboribus ortam esse lassitudinem ejus generis quam ξηρώδη *Galenus* appellavit, ex qua denique dolor ille totius corporis ac in primis nervacearum partium, duxisset originem. Ac divinitus quidem *Hippocrates*, id lassitudinis genus his verbis representavit: *Lib. 2. de Diata.*

ὁκόνταν δὲ λείων τοῦ καιροῦ πόνος ἦ, ὑπερξηραίνει τὴν σάρκα, κενωθεῖσα δὲ τοῦ ὑγροῦ θερμαίνεται, καὶ ἀλγέει· hincque sequitur febris lenta & diuturna; καὶ φρίσσει καὶ ἐς πυρετὸν καθίσταται μακρό-

μακρότερον ἢν μή τις ἐκθεραπεύσῃ ὀρθῶς. Paucis suo more sapiens senex quidquid eo de symptomatum genere dici divinarive potuit complectitur.

Quæ cum constituta essent, jam mihi difficile non fuit totius curationis modum definire. Quæ in eo versari videbatur, ut partim humectando, partim moderatè frigerando natura, ex mutatione in qua erat, ad nativam temperaturam reduceretur. At qui tandem id obtineri potuit? Frictionibus & balneis & diæta. Docet id mirum in modum ut cætera senior: χρὴ δὲ πρῶτον μὲν αὐτῷ τῷ λουτρῷ μὴ σφοδρὰ πολλῷ μηδὲ θερμῷ ἄγαν λούεσθαι, &c. id est, *oportet autem primum quidem, ipsum balneo non valde multo, neque nimis calido lavari, &c.* Balneorum quidem tanta est utilitas, nihil ut magis conducat ad nativum carni musculisque temperamentum restituendum. Si quidem, inquit *Galenus*, nihil invenias quod valido æstu occupatos præsentius refrigerare, aut rigentes promptius calefacere queat, quam balneum. Cum enim natura humidum sit & moderatè calidum, humiditate quidem natam ex calore siccitatem irrigat, caliditate autem, ortam ex gelu frigiditatem persanat.

Lib. 1. de usu partium.

θεράπεια Quare cholagogâ potione datâ, humoribus exoneratum est corpus, & ad balnea com-

comparatum. Impuris enim corporibus adire balnea pernitiosum est. Communita deinde viscera, ne quid ex balneis detrimenti caperent, denique sub horam tertiam pomeridianam jussus æger adire balnea tepida, ex malacticis & anodynis simplicibus confecta. A balneis paulum sudare sinebatur ac detersus ungebatur rosaceo; & cum aliquantum temporis intercessisset alebatur euchymis & digestu facilibus.

Ea præsidia tanti fuere, ut cum iterum ac tertio balnea repetiviſſet, omnino desinere dolor, febris vanescere, redire nativa temperies, ac æger persanari. Bene ac feliciter; si non immemor redditæ sanitatis extitisset. At ego benedicam dominum omni tempore ac ejus laus semper in ore meo versabitur. *Eventus*

Historia

HISTORIA. 8ª.

ADolescens decem ac septem circiter annorum, habitus macilenti, biliosæ complexionis & cui prominebant alarum instar humeri, cum & lusu & æstu se fatigâsset, in febrem incidit. Ei quoque latus dolebat, & ægrè meabat spiritus, & sanguis exspuebatur, & defecto viribus, in angusto spes erat. Nec qui periclitanti opem afferret idoneus & in arte Medica satis versatus, in ea regione reperiebatur. Ad me cum fors per oppidum iter facerem, venit perfusa lacrymis illius genitrix, obnixè postulans ut moribundo filio pro mea in calamitosos commiseratione opitularer. Ego supplicantis ejulatu permotus aliquot dies substiti. Quippe nihil temere agendum ratus; morbi genus ac typum moresque diligenter observare volui, quo certiorem ægrotanti facerem medicinam. Ac eo major adhibenda fuit diligentia, quod morbus principiò salutaris, ad extremum ob errores ab ægro commissos, nullo Medico consilium dante, pernitiosus evasisse videbatur.

Ratiocinatio Habet Medica facultas, perinde ut reliquæ artes, osores suos, habet quoque laudatores. Nam sunt qui cùm multos mortalium, videant ope Medica non solum à contumacibus desperatisque morbos, sed ab

ab interim etiam ipso sæpenumero vindicari, quiddam supra humanum modum effici à Medicis æstimantes, ipsorum artem ut cœlitus advenientem, divinumque aliquid habentem, laudibus in immensum extollunt. Rursus alii evadere quamplurimos sine Medicis, sanitatique, solius naturæ auxilio restitui animadvertentes, ut vanam & superfluam rejiciunt. Sed qui perversioris ac nequioris ingenii sunt, in eam acriter invehuntur; ac ejus professores mendacii, crudelitatisque & capitalis in genus humanum odii damnant. Atque *Catonem* tetricæ virum indolis, insectandorum Medicorum principem fuisse repetio; quem aliquot post sæcula secutus historiæ Naturalis autor *Plinius*, non tam artem ipsam vituperavit, quàm varios professitentium errores coarguit, sectasque invicem pugnantium perstrinxit. Sed illa nimis antiqua, tametsi nostrum usque in ævum, continuato vituperio transmissa, linquo. Nec enim tanti sunt, quin multo majora in Medicinæ, Medentiumque laudem conferri queant. Nam qui laudant, longe effusius & impensius faciunt, quàm qui vituperant. Nec falso. Etenim in ipsa arte nihil est quod magnopere vituperari possit; ut sint pravi, vanique & turpes, multorum è professitentibus mores. Et artis quidem necessitatem & *Cato* & post eum *Plinius* probavere, cum dicerent, sine Medicis quidem, plurimos esse salvatos, sine Medicina prorsus neminem. Imo etiam

Plin. hist. natur. lib. 29. cap. 1.

ille

ille Censorius, Commentarium reliquit de Medicina ad usum domesticum necessaria. Equidem nihil vanè dicam, neque de illa facultate quam jam inde à multis annis profiteor, quidquam jactanter memorabo, ne fidem ejus verissimæ laudi detraxisse videar. Neque enim locus est, ut in præsentia vel pro laudatoribus, vel contra vituperatores disputem. Tantum dicam visos à me permultos, ope Medicinæ destitutos periisse, permultos quoque, ejus adminiculo convaluisse. Quorum unus is fuit, cujus hic ego scribo historiam. Nam ita iniqui infensique in Medicos animi arbitror esse neminem, qui non videat, quemadmodum suo in morbum errore inductus erat, de quo nunc agitur adolescens, ita partim pharmacis, partim chirurgia, partim diætæ præceptis servari potuisse. Certe febrim ab intempestivis exercitationibus, & lateris dolores oriri minime novum est; præsertim quibus constitutio, flavæ bilis est admodum particeps. Est enim ea maximè inflammabilis, sulphureæ naturæ quiddam habens. Addo ætatem quo tempore ἡ χολὴ ἀείρεται ἐν τῷ σώματι· addo siccitatem habitus macilenti. Addo prominentiam humerorum. Addo patrem ægrotantis tabe consumptum, quæ omnia indicabant, eum adolescentulum, pulmonum affectionibus & hæmoptoi, & febri hecticæ & tabi denique obnoxium extitisse. Atque ego cum

Hipp. ib. de natur. hum.

cùm propius intuerer; duplici teneri eum morbo judicabam, pulmonia, & phlegmone pulmonica. Nam cætera erant eorum signa atque symptomata; tussis nimirum & cruenta screatio, lateris etiam dolor & febris. De quibus fusè disputat in libro de internis affectibus *Hippocrates*. Certe eos morbos per esse curatu difficiles constat.

Sed unde tot undique urgentibus malis, sumendum curationis exordium? An à morbi causa? an vero ab adjunctorum aliquo? Ad causam acturum ut aggrederer, cùm placitum illud Philosophorum suadebat, quo aiunt, sublatâ causâ effectum quoque tolli; tum oraculum istud *Hippocraticum*, τὰ νοσήματα χρὴ ἀπ' ἀρχῆς ἰᾶσθαι ὅσα μὴ ἀπὸ τῶν ῥόων γίνεται, τοὺς ῥόους πρώτιστον πρῶτον, &c. id est, *Morbos à principio curare oportet, & si quidem à fluxionibus fiunt primum fluxiones sedare, si vero ab alia causa, principium morbi sedare & curare, deinde id quod instat, si quidem multum fuerit, educere, sin modicum, per dietam moderari ac componere.* Sed alia me permovebant. Videbam enim tussim acerrimam esse; febrim ingravescentem, artus urere & coacervato in pulmonibus sanguine bile commixto, prope esse ut æger suffocaretur. His igitur occurrendum fuit. At quibus auxiliis? certe validissimis ac præsentissimis, secundum illud divini *Hippocratis* effatum.

Indicatio.

Lib. de locis in homine.

Aph. l. 1. 6. ἐς τὰ ἔσχατα νουσήματα αἱ ἔσχατοι θεραπεῖαι ἐς ἀκριβίην κράτισται.

θεράπεια Primum igitur omnium, quod alvum non admodum fluere videbamus, sanguinem detraximus. Nam & sancivit Magister tum solidam alvum efficere, cum sanguis est minuendus; ἢν δ' αἷμα τινὶ ξυμφέρει ἀφερέειν, στερέην πρότερον ποιέειν τὴν κοιλίην, καὶ οὕτως ἀφερέειν. Et Doctissimus *Fernelius* in Medendi Methodo sic elegantissimè scriptum reliquit. *Morbos quos vel sanguinis ubertas, vel eruptio progenuit, præsentes quidem sanat vena sectio, impendentes arcet. Ejus generis maximè sunt synochus febris, &c.* Et paulo post. *In partium autem affectibus numerantur phrenitis, opthalmia, parotis, angina, pleuritis, peripneumonia, &c. horum igitur initio, vena opposito loco tusa, fluxionis impetum sistit; revulsionisque vi, nonnihil ex affecta parte revocat. Ea igitur proprium ac legitimum his remedium est qui ex boni sanguinis plenitudine ortus sui primordia acceperunt Qui vero ex impura plenitudine emerserunt, quia plurimum his cognati sunt, vena quoque secta curari desiderant.* Hæc igitur *Fernelius*; Certè sanguinis imminutione, plurimum de febri remissum est, & sputa bene processere, quæ eo medicamenti genere quod βηχικὸν appellatur, juvata sint.

Lib. de victus ratione in morbis acutis. Lib. 2. cap. 6.

Prisana

Ptisana quoque pro potu fuit. Deinde ad inhibendam humoris irrumpentis fluxionem vetus rosarum conditura data. Ad extremum vulpinus pulmo ad lincturam paratus, mirum in modum juvit. Cum vero succedere omnia viderem, pleniore victu refocillari ægrum jussi, ac tum demum reliquias morbi medicata potione Thamatindis atque Manna repurgari.

Igitur intra dies aliquot præter omnium expectationem salvus ac incolumis evasit. Ego tamen ipsius matrem jure lætantem admonui filio præciperet, ut diligenter se custodiret, neve immodico lusu cursuve tenellum corpus calefaciens fatigaret. Nam esse recidivæ periculum, quæ dubio procul interitum afferret. *Deo, uno, vero, Bono, sempiterno gloria.*

HISTORIA 94.

POST id tempus me rogavit Matrona Nobilis, ipsius ut villicum lecto affixum visere ne dedignarer. Hominē reperi sanguinis grumos ore rejectantem, & latus dolentem & febri & tussi perdite vexatum. Inquirens de anteacta vita, dedici laboris summi & rusticanæ plenam sollicitudinis. Non cibum non somnum capiebat; & ad corporis dolores accedebat, ut fit, animi ægritudo, quod se videret tantam sanguinis vim revomere, ut facile pondo librarum duarum excederet, intra diei unius spatium. Ego solarus ægrum, quid opus esset facto, tacitus aliquamdiu consideravi, hominis extenuati desperateque decumbentis salvandi causa.

Ratiocinatio.

Sanguinis qui ore vomeretur scaturiginem mecum reputans, aut è cerebro defluere, aut è pulmonibus ejici, aut è cavo pectore extussiri judicabam. Undecumque autem proveniret, non posse nisi ex aperto aliquo vase effundi. Jam vero vasorum apertionem quadrupliciter contingere, nimirum vel diductis per ἀναστόμωσιν oculis, vel rarefactione, vel ruptione, id quod *Græci* ῥῆξιν, vel erosione quæ διάβρωσις iisdem appellatur.

At

At ſanguinem è cerebro neque nigrum, neque ſine faucium titillatione decidere; nec è pulmone niſi ferme rubicundum & ſpumantem ejectari: & è pectore nigrum & interdum ſpuma commixtum expelli, artis Medicæ præcepta docent. Deinde ex rarefactione & anaſtomoſi vaſorum, guttatim & tenuem ſtillare; ex eroſione autem purulentum, ſubalbidum aut decolorem, velut ulcerum virus prodire. Ex quibus videbam neceſſariò conſequi, cùm è diſrupta vena in thoracem ferri, tum è thorace per aſperam arteriam exeuri. In qua me ſententia lateris, imò totius pectoris dolor confirmabat.

Erat autem hic duplex in univerſum indicatio, alia curatoria, alia conſervatoria. Nam & curandus morbus, & conſervandæ vires, multo jam labore pene fractæ. Atque in curando quidem & ſanguis è pulmone revellendus, & expurgandus thorax & adglutinanda vena. Neceſſaria igitur fuit venæ alicujus, viſui tactuive expoſitæ apertio; idque in cubito primum deinde in malleolo, (ſi vires ferre poſſent) tum aliquid intro ſumendum abſtergendo pectori, acrimoniæque ſanguinis temperandæ accommodatum: denique ſive buccella ſive electarium aliquod obſtergendis adſtringendiſque venis idoneum deglutiendum: poſtremo reliquum humoris purgante pharmaco propellendum. Ad prophylactiecm pertinebat *Indicatio.*

diæta instaurans & aër temperatus & id genus alia.

θεράπεια Sed enim Rusticus Medicinæ impatiens nihil eorum observare vel potuit vel voluit. Ac ne venæ quidem Sectionem quam principio præceperamus sustinuit. Igitur ei aquam hordeatam, Jujubinis & sebestinis fructibus liqueritiæque radice ac melle medicatam in aliquot dies ut sumeret pro potu, avenato autem pro cibo uteretur vix tandem persuasimus.

Eventus. Evasit tamen & etiam nunc vivit. Nam id medicamenti lenivit sua dulcedine fluentis acritudinem sanguinis: abstersit itidem & persanavit ulcus, ἡ σωτηρία καὶ ἡ δόξα Κυρίῳ τῷ Θεῷ ὑμῶν.

Historia

HISTORIA IOª.

Iterum mihi obstetrix dicenda venit. Ea sub elabentem ætatem, statim à prandio, repentino frigore & rigore cohorruit. Inde febris sine intermissione, & perpetuo quasi tenore perseverans. Frequentia deliquia & sitis & ardor ingens, & interdum sudor. Alvus libera & urinæ toto morbi decursu & copiosæ & ferme quales optari posse viderentur. Cæterum quod erat animi impatiens ægra, sæpe omnia turbabat adeo ut in summum quoque discrimen deduceretur; delirans interdum & effera & opem afferentibus pervicaciter obluctans.

Tria morborum principia non Hippocrates tantum & Polybus Hippocratis discipulus, sed antiquissimi quoque philosophorum constituerunt. Nam cum nullum morbum sine causis vel externis vel internis produci posse, communis sit omnium & Medicorum & Philosophorum sententia: Causas quidem externas aut ab Elementis quæ Hippocrates cœli solique nomine comprehendit aliisque rebus quas necessarias à nova Academia appellatas esse video, aut ab aliqua violentia; internas autem ab humorum redundantia

Rationalis natio. Hipp. lib. 4. de mor.

repetere necesse fuerit. Atque sic tria poni principia: Cœlum, Violentiam, & plenitudinem, quibus febres ut plurimum pariuntur. Calefaciunt enim. Inprimis plenitudo & violentia. Et febris calor est præter naturam. Sanguis autem & bilis & pituita, sed presertim illa duo, materiam & nutrimentum febri præbent. Nam pituitâ solâ non videtur ali, quippe cùm frigida non sit idoneum ignis alimentum. Incalescunt autem humores illi, cùm cibo potuque intemperanter ingestis, tum laboribus immodicis, aut aliqua vi extrinsecus illata corpori. Inde quoque rigor sæpenumero consequitur, perturbatis nimirum, invicemque pugnantibus humoribus. A rigore tandem interdum febris exoritur vehementer incalescentibus eo conflictu sanguini permixtis utraque bile & pituita. Id quod præclare admodum in libro de naturâ humana docet Hippocrates. Cujus verba alio fortasse loco referam. Ex illis verò tribus principiis utrum in obstetricis corpus majore impetu egerit haud difficile judicatu est. Tum quidem æstus erat immodicus & illa plurimum fatigabatur: at obesi existens corporis nisi & sanguine & bile & aliis oppleta esset humoribus, haud ita facile quidem in morbum incurrisset eum, quem illi attulit fermè athletica plenitudo. At cujus generis morbus is fuit? Intemperiei. Non illius quidem simplicis, sed alterius quæ cum materia conjuncta est. Nimirum

febris

febris, quam ſymptomata *ſynochum* eſſe putridam oſtendebant. Neque enim intermittebat, neque ſudoribus manantibus in apyriam ſolvebatur; ſed in aliquot dies eâdem ferme vi perſiſtebat. Nec enim difficili negotio ſanguini commiſtis humoribus communicari corruptio potuit. Neque video quid prohibeat quo minus exorta quâcumque ex cauſâ unius ſpeciei febris in aliam poſſit ſpeciem commutari. Nam inflammatus ſanguis qui ſynochum conſtituit ſimplicem, ſi diu ea perſeveret inflammatio & corrumpetur ipſe, & ſibi commiſtos humores ſine dubio afficiet. Indeque ſequentis ſpeciei *ſynochus* exorietur; quæ denique continuam, ſi perſeveret, ſingularis alicujus differentiæ faciet. Nec vero quod ægra primum inhorruerit, id prohibuit quominus febri corriperetur continua. Nam id genus quoque febris à frigore ſæpenumero vel horrore rigoreve habet initium. Jam vero quod frequenter animo linqueretur, id cùm ad ſanguinem confertim ad cor irrumpentem tum ad fuligines referendum videbatur, quæ ex denſo illo & pingui multiſque humoribus obſarto corpore exhalare libere non poterant. Cæterum urinæ laudabiles bonam ſpem afferebant, exitum morbi ſalutarem portendentes.

Ex continua ſimplici quam & ſynochum putridam vocat Fernelius, in continuam concluſam commutata eſt, quam idem ait, ſanguinem ex aquabili humore in venis majoribus conſtantem habere pro materia.

Indicatio. Igitur prima mihi summaque fuit intentio corporis plenitudine infarctuque liberandi, quo levata onere natura reliquos humores & excoqueret, & secerneret facilius, atque foras extruderet. Inde quoque futurum prævidebam, ut evacuatis pravis humoribus, calor ille febrilis ex eorum impuritate redundantiaque accensus sponte subsideret, & sitis & alia symptomata desinerent. Et quanquam morbi sedes in venis esset majoribus, quæ inter alas exporriguntur & inguina; tamen antactæ vitæ rationem qua ægra usa erat, consideranti non videbatur, prima regio impuritatis expers esse; quam statim ab initio expurgandam judicavi, *Hippocratis* doctrinam, *Fernelii* sententiâ confirmatam observans. Sic enim hic capite quinto curandarum febrium ait. *Non solum in valde acutis morbis quorum natura furget, Hippocratis more (cui vehementiora duntaxat medicamenta innotuerant) verum etiam in quovis modo acutis utiliter statim initio vacuandum.* Hæc ille. Morbum autem ex acutorum extitisse genere, satis ex repentinæ invasionis vehementia perspectum erat. Quare quoniam ei morbo, materiam suppeditabat plenitudo, sive sanguis ex humorum æquabili commixtura constans, venis comprehensus majoribus; ejus detractionem, quæ secta scalpello vena fit ægræ sumus pernecessariam arbitrati. Deinde humoris dominantis (cum autem esse biliosum

sum ex detracto sanguine, non dubia conjectura cognovimus) repurgationem lenibus medicamentis tentavimus spiritus sive dissipatos, sive tetris infectos vaporibus identidem alexipharmacis instaurantes ac roborantes.

Quo die febris invasit, eo die sub vesperam injici clysterem ægræ præcepimus, ex dissolut. lenient. Elect. & herbarum emoll. decoct. addito roris marini m. β. Postero die vena cubiti operta est, unde sanguinem effluere sivimus ad quantitatem unciarum decem. Exinde propomatis febrilem retundere calorem aggressi sumus. Ea autem ut plurimum è serapio violaceo & aquis cor oblectantibus cum aciditate vitrioli, cujus singularem in febres esse vim multis experimentis comprobavimus. Dabamus quoque serapium Caryophyllorum animæ recreandæ peraccommodum. Cum autem ad usque morbi statum alvus ei fere semper adstricta esset, probe medicatis Enematis repurgabantur identidem intestina. Sed maximum in Diæta præsidium fuit, quam exactam ac ferè summam præscripsimus; jusculis tantum ægram reficientes ubi opus erat. Pro potu quo ad restinguendam sitim creberrimo utebatur, aqua hordei præbita est cum fructibus Jujubinis & Sebestinis addito limonum succo. Interdum etiam aqua pura & limpida in qua saccarum dissolutum erat

Διάγνωσις.

erat & mali citrei succus expressus.

Eventus. Secundæ hebdomadæ curriculo solutus est partim per urinas, partim etiam per sudores, partim quoque per secessum morbus. Nam sub diem decimum & tertium sudor effluxit undique calidus & copiosus. Sequenti, urinæ multæ & coctæ & plurimo cum sedimento prodierunt. Tribus deinceps sic alvus ægrotanti lavata est, ut iterum ac tertio dietim deijceret varia, non fœtida tamen nec incocta maléve soluta. Tandem adeo convaluit ut ne morbi quidem vestigium remaneret. Quare ob curationem Deo Gratias agimus ex animo.

Historia

HISTORIA II^a.

AT non ſemper læta ſunt Medicinæ opera, habet illa ſæpenumerò miſerabiles caſus. Quare poſt curationes fœlici exitu perfectas, quas hactenus recenſimus, non erit inutilis operæ lamentabile Municipis Meridunenſis exitium ſcribere. Abdominis & lumborum immani cruciatu nullam miſero ſomni partem relinquente divexabatur. At cùm (ut id genus hominum ſolet) multa magis temere & inconſultè quam utiliter expertus eſſet: tandem à Matrona ſanguinis ingenui præbitum eſt ei pharmacum ex eorum genere quæ calculos communere & urinas ciere ſingulari quadam & recondita facultate æſtimantur, ſanè perviolentum. Quod ut nihil profuiſſe, imo dolorem multò quàm antea acerbiorem excitaſſe viſum eſt, me tandem tum longe, officii cauſa verſantem, accerſivit. Ut veni, hominem in lectulo recubantem vidi ſudore frigido diffuſum, multaque lamentantem. Et vehementem arteria crebrumque & interdum hæſitantem in manus vola pulſum faciebat. Urinæ ſanguineæ & veluti tamentis abſolutarum carnium reſperſæ mejebantur magna copia. Vomuerat; cibi faſtidiebat; frigebat

καρπὸς Græcè *eſt ea pars qua jungitur manus cum cubito. Volam interpretatus eſt Theodorus Gaza. in Ariſt. hiſtor. animal. lib. 3. c. 2.*

gebat tibias & pedes; deplorata omnia. Quem ego solatus non tamen sine aliqua ope dimisi. Nam & salutem polliceri vanum ac temerarium, & solamine destitutum relinquere, crudele & inhumanum arbitrabar. Utrumque autem homini prudenti magnopere fugiendum. Certe paucos intra dies remitente cruciatu exspiravit.

Ratiocinatio. Solemus Medici ex effectibus ad causarum cognitionem gradatim procedere. Atque ex iis quæ commemorata hactenus fuere symptomatibus aut læsos esse renes, aut vesicam male affectam haud falso conijcimus. Nam sic divinus senex Aphorismo quinto & septuagesimo sectionis quartæ pronuntiat; ἢν αἷμα ἢ πύον οὐρέει τῶν νεφρῶν ἢ τῆς κύστιος ἕλκωσιν σημαίνει. At vero tanti mali sedem, quo hic æger torquebatur in renibus potiùs quàm in vesica quærendam, certioribus rationibus adducor ut censeam. Nam *Galenus* renum affectiones ex urinis esse dignoscendas ait. Urinæ vero cùm admodum cruentæ essent, nimirum aliquid in renibus dilaceratum ostendebant. Id confirmat præceptor, ὁκόσοι ἀπὸ τ' αὐτομάτου αἷμα οὐρέουσιν τουτέοισιν ἀπὸ τῶν νεφρῶν φλεβίου ῥήξιν σημαίνει. Huic autem ægro non stillatim, sed affatim urina sanguinea profluebat, carunculis & velut capillamentis in

Comment. 2. in pror. c. 7.

Aphoris. 78. Sect. 4.

in ea ſubſidentibus, & ſi commoveretur, innatantibus. Id quod non veſicæ læſæ, ſed renum affectorum, certiſſimum eſt indicium. Unde enim in veſica tantùm ſanguinis, cùm eam exanguem eſſe *Galenus* dicat? deinde nervoſa veſica eſt & membranacea, quare nequit ex ea quidquam carnium ramentis ſimile prodire. Video quid obijci poſſit. Nimirum divulſis qui veſicam circumplectuntur muſculis, aut venis arteriiſve diffractis, urinam cruentam reddi. Sit ita. At id & cum pungente dolore, & magno niſu ac difficile fiet, & quod in urina cruentum videbitur, id concreto ſanguini, magis quàm ramentis erit ſimile. Atqui ſine ullo doloris ſenſu, & magna copia mejebat is municeps. Deinde non pubem, non perinæum, non circumjacentes partes admodum dolebat. Denique non eſt veſicæ læſio tanti ut pertinaciem afferre poſſit, raro inflammatur; eſt enim frigidi temperamenti; rariùs ex influente ſanguine venæ diſrumpuntur: rariſſimè evenit ut muſculi eam adſtringentes vulnerati non coaleſcant. Sed fac exitiabiliter & læſam & inflammatam fuiſſe: certè aut urina ſuppreſſa omnino eſſet, aut ſaltem non niſi guttatim intercidiſſet. Unde vero tantus & tam pertinax circum lumbos,

Comment. in Aphoriſm. 5. Sect. 3.

Id intelligendum eſt niſi vi extrinſecus illata, veſicæ ſubſtantia vulneretur. Nam id vulnus non coaleſcit, deinde ob viciniam & convenientiam, quæ ei eſt cum principibus partibus, & interceptionem communis officii id vulnus erit latiferum. Sed in agro quo de nunc agitur nihil eſt ejuſmodi.

bos cruciatus? Profecto non tam è vesica, quàm à renibus aut à venis ad eos pertinentibus, misere dilaceratis. Perspicuum est igitur in renibus mali fontem extitisse. Jam qua in eorum parte, restat ut investigemus.

Equidem in ea sententia sum ut existimem in ipsa renum substantia fuisse. In queis calculus ex humorum infarctu, genitus asper ac firmus Nephriticos ut vocamus dolores pariebat. Qui deinde medicatæ potionis quæ alienissimo tempore præbita est, facultate impulsus, ac summa vi tum venas emulgentes, tum ureteres perrumpens, perditè dilaniavit. Hinc inflammatio, tum ex ipsa divulsione tum ex acerrimo dolore, tum ex humoribus inflammationis vi illò tractis. Hinc ardor ingens, hinc febris, hinc denique solutis viribus & natura fatiscente, sudor ille frigidus, mortis adventantis prænuntius. Nam vomitus & alimenti fastidium nihil moror. Nam ea symptomata sunt ad eum consensum referenda, qui consensus inter ventriculum & renes intercedit, ob nervos ab illo in horum membranas derivatos.

Hæc igitur mihi visa sunt huic ægro perniciem attulisse. Quod si demortui cadaver aperiri superstites liberi viduaque permisissent, rem omnem sine dubio non paullò clarioribus notis perspectam habuissemus.

Historia

HISTORIA. 12ª.

QUod ſubjecturus ſum, magna quoque conſideratione dignum videtur. Venerat ad me officii cauſa atque humanitatis Doctiſſimus *Nicolſonius*. Cujus cum eruditiſſimo frui colloquio diutius vellem, rogaremque paulùm ut remaneret, reſpondit ſe municipem qui tum ſors, proximo in cubiculo erat alloqui cupere. Quem ego ſtatim accerſitum invitavi, nobiſcum cibi aliquid ut deguſtaret; vixque tandem perpuli, ut ovum ſorberet, vinique pauxillum ſuperhauriret. Quod ut egit, magis ne denegaſſe videretur, quàm ut reluctanti naturæ ſatisfaceret; multum ſe mihi debere dixit: neque enim ſe tantum alimenti duobus menſibus in languidum ventriculum injeciſſe. Rogatus cauſam reſpondit ſe nihil appetere. Quæſivi cujus ætatis, circiter annorum ſexaginta, inquit, Multiſque cum precibus ſalutem mihi ſuam commendavit *Nicolſonii* oratione permotus, qui ſerio ei oſtendit teneri ipſum valetudinem ſuam curare, ne Deum temere tentaſſe videretur. Dixit, in ſeque recepit facturum, quæ præ-

Is poſtea Gloceſtrienſis Epiſcopus fuit.

præciperem. Exinde illum ego ſæpe inviſere, ac blandiſſimis verbis ſolari, ut animum ad hilaritatem traduceret. Vixit tres menſes cibis euchymis, liquidis potius quàm ſolidis, & ptiſanâ quàm identidem ſorbillabat ſine febre erat, non dolebat ullam partem, nihil cupiebat. Dicebat tamen & nos id videbamus, cum quidquam ingereretur, difficillime tranſglutiri. Tandem cùm nihil omiſiſſem eorum omnium, quæ ſapienter ars præcipit cum ad mali cauſam cognoſcendam, tum ad eandem tollendam, eò redactus eſt, ut ne guttulam quidem inſtillatæ aquæ poſſet tranſmittere. Suſtentatus eſt tamen aliquot dies clyſteribus ex juſculis inſtauratibus. Conſtans mente & omnibus ſenſibus tandem ſine ullo dolore defectus viribus naturæ conceſſit.

Ratiocinatio. Hominis iſtius & ætatem & mores conſideranti, ventriculique ſtructuram, & appetentis naturam facultatis intelligenti, haud difficile fuerit cauſam ἀπλίας ſive ἀνορεξίας, quæ illum ſuſtulit agnoſcere. Certe homo cum ſenex tum animi magis quam corporis laboribus deditus, nec multi alimenti naturaliter appetens erat: & cum exhauſtus eſſet calor ingenitus, humenti frigiditate abundabat: unde fiebat nihil prorſus ut appeteret, oppreſſis extinctiſque ſpiritibus iis, qui deferuntur ad ventriculum per

per eos nervos, quibus os illius, multiplici nexu circumvolutum tenetur, ubi doctissimi Medicorum appetentiæ sedem esse collocatam censuerunt. Hinc defectum alimentis corpus, marcore confici necesse erat; neque unde spiritus instaurari solent, suppeditante quidquam ægro, vires collabi, naturamque fatiscentem penitùs concidere intra paucos dies oportebat. Sed neque tum cum maxime opus esset, maximeque niteretur, quidquam poterat æger intro mittere; constrictis coarctatisque meatibus & canalibus, queis esculenta potulentaque in ventriculum delabuntur. Ergo fatum ei fuit inevitabile, cum non posset destinatis ad naturam reparandam, alimentis sustentari.

Historia

HISTORIA 13ª.

ALiud mihi morbi genus narrandum venit, non tam suâ naturâ quàm perseverantiâ calamitosum. Nam sanguinis illud effluvium quod fit per eas venas quas hæmorroidas appellamus, pluribus extitit salutare: quoidam tamen immodica excretione debilitatos interemit. Ejusmodi profusionem sibi permolestam esse apud me conquestus est, honestus sanè vir qui Magistratum in eodem municipio gerebat. Erat capillos subflavus, corpus bene constituturus, ac sic temperatus ut caloris & humoris videretur esse particeps. Semel aut iterum annuatim præcipuè sub autumnum ei sanguis per secessum excernebatur, purus ac purpureus, nullo fermè doloris sensu, sed eâ copiâ ut illi vires infringi manifestè viderentur; atque vultus quem candoris ac rubons temperatura belle renitentem habebat inde flavesceret, velut regio fœdatus morbo. Annum haud quinquagesimum attigerat.

Ratiocinatio.

Hæmorrhoidum alias intrinsecus latere, extrinsecus proferri alias compertum est ex Anatomicis. Utraque origine, insertione, usu, atque sanguinis effusi

effusi discrimine differentes. Nam quæ intrinsecus latens manet, unica est, à portis hepatis trahens originem eo ferme loco unde ramus splenicus, cum cui à brevitate nomen est, producit. Inde per coli intestini extrema, sub recto irrepens, ejus ipsius recti finem circulatim amplectitur. At verò externæ ab hypogastrico venæ cavæ ramo proficiscentes, feruntur ad podicem. Hæ vacuando hepati inserviunt: illa spleni repurgando accommodata est. Ab illa qui sanguis fluit, niger & crassus, & impurus & paucus est & coli dolorem anique parit. Hæ purum & puniceum & subtilem fundunt, ea interdum copia, ut ægri periclitentur. Quemadmodum huic dubio procul contigisset, nisi nostra occursum esset opera. Jam verò, hæmorrhoidum fluxu constantem ætatem infestari dicit in *Aphorismis Hippocrates*. Item ait; *Qui per hæmorrhoidas repurgantur, eos ferme neque pleuritide, neque peripneumonia, neque phagedena neque furunculis, neque lepra, neque vitiligine solere infestari.* His autem morbis non evenit, quod quidem sciam, ut quo de nunc agitur Municeps laboraret. Quare si & confirmatæ erat ætatis, & ejusmodi constitutionis, quæ sanguine abundaret: & si ei sanguis purus ac purpureus copiosè & sine dolore fundebatur, & si non iis tentatus est unquam morbis quos sanguinis redundantia parit: profectò eum sanguinem ab hepate per externas

Aphorif. 30 sect. 3. Lib. 6. popul. morbor. sect. 3.

externas hæmorrhoidas manasse concludendum est. Sive jecur imbecillum esset, sive majorem sanguinis vim produceret, quàm ad alendas omnes corporis partes satis esse videretur: sive denique id acrimonia sanguinis fieret, qui ad inferiores venas suo pondere dilabens earum extrema corroderet. At non imbecillitate jocino is factum inde constat, quod sanguis admodum elaborate perfectus profunderetur: qui alioquin aqueus & pallidus prodiisset, profusus ab imbecillo jocinore. Deinde corpus ægrotantis vel tumefactum pravo redundans succo, vel idoneo destitutum alimento, per extinuatum & exangue visum esset. Sed nihil erat ejusmodi. Ne acrimoniam quidem acritudo sanguinis potest; Non enim erat tanta, ut anum erodere. Restat igitur copiam confecti sanguinis, cui retinendo, regendoque jecur non erat satis, hac maxime via fuisse repurgandam. Quod cum abundantius fieret, quàm valetudini consentaneum esset: morbum ortum esse organicum, ejus speciei quæ vel ad meatum, vel ad magnitudinem referri potest. Quanquam nihil peccabitur, si intemperiei vitio, calori videlicèt hepatis immodico tribuatur.

Tamen ipsius sanguinis rutilus color & rubor, ostendebat acritatem, quamvis non esset usque adeo mordicans ut podicem erroderet.

Indicatio. Non fuit mei consilii sic hunc ægrum percurare, nunquam ut ei fluerent hæmorrhoides.

morrhoides. Memineram enim à Magistro dictum, ab ea affectione intempestivè curatos, in multo graviores incurrere. Neque rursum ita repente ad. stringere volui, nihil ut sanguinis excideret. Nam omnem in contrarium factam subito mutationem, esse periculosam haud eram ignarus. Sensim igitur curandum statuens, viribus labantibus succurro; tum revello, deinde modice purgans adstringensque corroboro. Postremò sic ægrotanti consulo ut alias vivendi leges secutus, ne tantam sanguinis vim patiatur. *De morbis popularibus lib. 6. sect. 3.*

Ac victum quidem ejusmodi toto curationis tempore constituo. Jusculà videlicet oxalide & portulaca & urtica tenellula, & spinacia & bugloſſo temperata ut sumat; bibat verò cervisiam tenuem, calybeatam in qua millefolium sit maceratum. Inde venæ sectionem ejus quæ in cubito dextro interna est, præcipio certis iterandam intervallis. Tum rheo, pruniſque acidulis ac tamarandis dilutam potionem do. Postmodum ad adstrictionem impero propotismata plantaginis & portulacæ succo, spirituque vitrioli atque saccharo commixta: rosarum quoque & citreorum & mirobalanorum condituras. *Ἰατρεία*

His verò medicaminibus in præsens quidem tempus curatus est. Deinceps autem ut ineunte vere, sero lactis caprini uteretur, cubitique dextri venam pertunderet *Eventus.*

pertunderet, edixi. Idem etiam vergente in autumnum æstate perageret. Vitaret in primis compotationes, aleretur modice, ratò equitaret, temperaret vino & salsamentis; & singulis mensibus radicis barbaricæ sesquidrachma dilutam potiunculam biberet. Quæ si faceret, pollicitus sum, Juvante Deo, salubriter & in multos annos victurum; quod ut ei celitus concedatur opto.

Historia

HISTORIA 14ª.

NEque possum, neque debeo, sine lacrymis acerbum carissimorum mihi juvenum interitum recordari. Erant ii ex nobilissima atque antiquissima *Lloydorum* familia, patre geniti equite, viro cum propter humanitatem, atque hospitalitatem, tum propter infractam animi constantiam inter præcipuos Cardighanienſis agri milites memorabili! Fecerat insignis, hujus Equitis erga me benevolentia, ut & ipsum non inferiori quàm parentis haberem loco: & omnes ejus liberos, perinde amarem ac fratres meos. Certe tametsi non illos natura mihi conjunctos fecerat: amicitiâ tamen multo ipsa potentior, sanctiorque naturâ, me singulari cum illis, amoris vinculo colligârat. Ejus utebar domo ac latibus eâdem & libertate & securitate, ac si domi apud meos versatus essem. Quare ferreus omnino, bonæque mentis expers fuissem, si non immaturæ eorum morte doluissem, quibuscum, tantus mihi usus, tantaque familiaritas intercesserat. Nam in ipso ætatis flore duo fratres sublati sunt, alter quadragesimo anno apoplexia repente suffocatus; alter cum nondum trigesimum, attigisset, longa

febri, doloribusque sævissimis enecatus; maximum ambo, sui desiderium nostris in animis relinquente». Qui ætate major erat, *Thomam* vocabant, at juniori *Davidi* nomen datum. Cujus de morbo mihi nunc est instituenda narratio.

Non ita commodam iste corporis constitutionem sortitus erat; quippe bilis atra reliquorum humorum dominium obtinebat. Quare diuturnis erat morbis obnoxius. Ac annum fere integrum, quartana jactatus febri exegerat, sui usque ad reprehensionem negligens. Et tamen utcumque liberatus, suo, id est, soluto & negligenti vivebat more. Ac sub autumnum alvus ei fluere cœpit sine dolore ullo intestinorum: sed eo incommodo, ut amplius quàm vicies diu noctuque secessum peterer. Quæ excernebat erant fœtida; loturæ carnium similia. Ac ne tum quidem perseveranti duos menses malo, quæsitum remedium. Febris deinde continua miserum corripuit: atque sub septimum à febri diem dolores arcuum sic immanes, ut se ferendo non esse, incondito clamore testaretur. Doloribus autem remittentibus tubercula in capite & cruribus visa, tum sub decimum diem sequuta mors. Quam ego pari luctu prosecutus sum, ac si frater mihi geminus ereptus esset. Si quid studii, si quid artis, si quid opis, si quid industriæ, si quid laboris, in me fuit, id in eo curando totum, sed heu! frustra collatum atque consumptum est. Periit nullius amicorum negligentia; sed magno omnium

nium dolore. Quem enim ſervare omni ſtudio tanquam cariſſimum deſiderabam, quid ei non adhibuiſſem? Sed illud mihi multo gravioris initium jacturæ fuit. Nam ejus frater natu major, quo nullum ego vidi mitiorem, meliorem, deditiorem bonis litteris, amantiorem veri, juſtique tenaciorem, anno vertente, nec opinante caſu perculſus, & ad interitum præcipitatus eſt. Pene concidi viribus ſpirituque defectus, cum ejus mortis nuntius ad me venit. Sed à tanti luctus acerbitate paullùm ſevocandus eſt animus, dum & morbi & mortis utriuſque cauſam perveſtigo.

Si quis eſt qui Medicinam putet, tem eſſe totam à natura ipſa ingenitam, faciliem, tritam, obviam omnibus & nullo labore parabilem, is nimirum fallitur. Neque enim quidquam eſt magis reconditum, minuſve obvium ſenſibus, aut majoris operæ, judiciique exquiſitioris. Fateor equidem ad Medicum efficiendum, naturam cum doctrina conjunctam plurimum poſſe, ſolam quidquam poſſe, conſtanter nego. Nam ſine plurimo ſtudio, ſine ſumma induſtria, ſine multis litteris, ſine maxima contentione, qui rectè & non hæſitanter morbos curaret, Medicique nomen egregie & cum laude ſuſtineret adhuc inventum eſſe neminem, omni adſeveratione confirmo. Non longe abierimus. Inſiſtamus in hoc de quo narrarum eſt morbo. Cujus implicatas confuſaſque cauſas, & rationes evolvere, genus ac differentiam conſtituere, motus conſequi *Ratiocinatio.*

prædicere pericula, qui solius naturæ ductu, sine artis studiique adjumento potuisset? De quo sic in primis existimo plurimæ fuisse participem ac venenatæ malignitatis. Non ejus quidem quæ foras erumpens, vicinos contagione tactuque contaminaret; sed illius quæ ex intus conclusa delitescenteque materia trahens originem ægro soli perniciem afferret. Ad Epidemicorum genus referendum censeo. Quibus morbis prava victus ratio causam præbet. Nam ita sive Magister, sive quis alius, magnus sine dubio vir, Magistri doctrinam sequutus ait:

Lib. de Natur. human. ὁκόταν δὲ αἱ νοῦσοι γίνονται παντοδαπαὶ κατὰ τὴν αὐτὸν χρόνον, δῆλον ὅτι τὰ διαίτηματα ἐστὶν αἴτια ἕκαστα ἑκάστοισι. Tunc vero temporis morbi varii generis in ea regione grassabantur. Atque illum ipsum è calamitosissimis fuisse hinc constat, quod pars corporis una validissimarum laboraret, ὁκόσα δὲ τῶν νοσημάτων ἀπὸ τοῦ σώματος γίνεται

Ibid. τῶν μελέων τοῦ ἰσχυροτάτου ταῦτα δεινότατά ἐστι, addit causam. Etenim si istic ubi initium sumpserint, permanserint, necesse est, fortissima parte laborante, totum corpus laborare. At verò jecur unum esse ex præstantissimis visceribus, cordi soli dignitate concedens, nemo vel mediocriter in Medicina versatus negaverit. Est enim

radicatio

radicatio venarum, officina sanguinis, naturalis spiritus sedes, ac domicilium facultatis nutritivæ. Cujus sanitas tanti momenti est, ut eo male affecto, totius corporis, omniumque humorum conturbatio: vulnerato, mors necessario consequatur. Cur autem omnem mali culpam in hoc nobili Juvene, ab hepatis vitio profectam esse existimem, multæ faciunt rationes. Nam præterquàm quod diuturna febre laboraverat, cujus vi cùm labefactatum erat temperamentum, tum omnium viscerum perturbata constitutio, & ingenitus calor, plurimùm imminutus: illud etiam accedebat, quod quamquam desiisset febris, attamen humoris pravi reliquiæ nullo essent Medicamento repurgatæ. Quare novi morbi fomes remanebat, à quo nondum anno vertente, nullis extinguendum pharmacis excitatum est incendium. Cujus pernicies evitari quidem fortasse potuisset, si moderatis vivendi legibus æger sibi cautum esse voluisset. Affecti verò Jocinoris non certius aliud τεκμήριον quàm sedimina cùm liquida, maleque cocta, tum loturæ carnis similia. Ab his hepaticum profluvium appellatum. Quippe demonstrant hepatis imbecillitatem. Quod morbi genus ab Intestinorum lævitate atque ulcere eâ maximè ratione secernitur, quod interdum in aliquot dies intermittat ac paulò post revertatur ab hepate proluvies: at in dysenteria nulla est desidendi intermissio. Dysenteria quoque magnum parit dolorem, qui nullus est, aut

Hæc ex Galeni doctrina desumpta sunt.

perexiguus in hepatis fluxu. Ac principio quidem fluxum illum nulla comitata est febris, id quod intemperiei perfrigidæ tribuendum censeo: deinde progressu temporis corrupto in viscera sanguine suborta est: id quod imminentis perniciei fuit indicium. Etenim naturam contrariis conflictaram affectionibus pessundari exhausto humore primigenio necesse fuit. Nec verò dolores illi & subito cohorti & sine manifesta causa desinentes, quidquam boni portendebant. Nam quidquid erat in corpore subtilioris humoris ad articulos propulsum ingentes cruciatus, acritudine sua pariebat, qui cùm repente subsedissent, nimirum extinctam facultatem arguebant.

Indicatio. Ei morbo maturè mederi non potui, quippe non consultus, nisi duobus ferme jam elapsis ab ejus principio mensibus. Statim autem ut veni advocavique rationem in consilium, omnem cogitationem corroborando Jocinori dirigere proposui. Nam abunde mihi videbatur æger purgatus, perseverante tam diu profluvio. Imbecillum vero viscus aliquid attrahebat quidem, ac cum nec in probum succum vertere, nec retinere distribuereque rectè posset; elabi male confectum alimentum necesse erat; unde sequebatur fœda cruentaque eluvies, summæ imbecillitatis corruptionisque indicium. Cui curandæ non aliam certiorem videbam rationem quàm si odora, & hepar confirmantia administrarentur, commixtis

iis,

iis, quæ & meatus expurgarent, quorum obstructio putefactionem parit, & totum viscus intestinaque extergerent.

Ægrotanti quidem antequam venirem, παράπειτα.
odoratum vinum datum erat, cum cinnamomo, nuce myristica, & ejus floribus, caryophillis quoque croco & saccharo, hoc medicaminis profuit aliquantum; ac multò salubrius extitisset, si & diutius & moderatius usus esset. Ego curationem via ac ratione ingressus, hunc fere ordinem secutus sum. Præcepi pedes, quantum fieri posset calidos haberet, insideret calido laterculo, foveretur itidem vapore aceti in quo laterculum candens extinctum foret, animum à mœrore revocaret. Potus is fuit, hordeum tostum, ramenta cornu cervi, radices bursæ pastoris cyperique, hædera terrestris, pilosella, plantago, & cinnamomum aquæ fontanæ incocta sunt, tum calybs igne candens intinctus & aqua colo rejecta, candidissimoque saccharo dulcefacta. Medicamentum infarctu liberans cum adstrictione, Radix asparagi, & graminis, radix barbara, myrobalani citrei, tria santala, & syrupus caryophillorum, omnia secundum artem parata. Conditura que cotoneorum ac sidoniorum; terra sigillata, bolus armena, pulvis santali rubri, cinnamomum, flores nucis myristicæ, ex his electuarium factum. Neque clysteres obstergentes, linimenta anodyna & id genus alia defuere. Cum vero intelligerem,

quantum hepati prodesset lignum hoc quod allatum ab India Guaiacum appellatur ejus aliquantulum in aqua cum uva passa exhibui. Et juvabat. Sed enim aliquis è famulis existimans id lignum non nisi ad luem veneriam exhiberi, statim detulit, Juvenem ea peste contaminatum esse; id quod magnam ejus sororibus suspitionem attulit. Quod cum idem ille famulus ad ægrotantem detulisset; repente velut ictus fulmine conticuit, animumque sic despondit, nullis ut eum solari verbis possem, hinc in pejus omnia ruere, febris exorta invalescere, urgere fatalia symptomata, collabi vires, dum denique fatalem obiret diem. Quod omnibus documento esse Medicis debet, qua prudentia solertiaque ægrotantium suscipi curam oporteat. Quod enim ad lignum Indicum attinet, id certe morbis omnibus à frigida causa profectis salutare esse, atque à præstantissimis Medicis adhiberi magnopereque commendari animadverto. Crassos atque impactos humores incidit, attenuat, & fluidos facileque purgabiles facit; corruptos mundat, solvit frigidos, sine ulla vehementia, sine caloris nativi humidique primigenii detrimento. Amicum hepati, amicum spleni, amicum renibus. Non ingratum stomacho, non intestinis adversum, imo vero quam maximè salutiferum. Modicè calidum, non extremè siccum; est enim oleaginea cujusdam particeps humiditatis, nec mediocrem

obtinens

obtinens penetrandi facultatem ob spiritus subtiles qui in eo insunt plurimi.

Ac hunc quidem Juvenem pertinax morbus abstulit. Frater autem natu major, non ipsi prævisо interitu repente periit. Enimvero præpingue corpus, collum breve, caput amplum, vita umbrosa, temperamentum præhumidum, & potus quàm cibi major appetentia ususque liberalior, diuturnam tametsi non apparentem, tam repentino casui materiam suppeditavere. Monueram sæpenumero pocillationibus præsertim serotinis abstineret. Sed nimirum consuetudo natura ipsa potentior altiores egerat radices, quàm ut evelli penitùs posset. Gravi sæpe somno tentabatur; nec ut se exerceret, unquam persuasus est. Causam afferebat quod podagra magna ipsum dolore afficeret. Et quod inauspicatum & infaustum illi accidit, quo die subita syderatione perculsus est; cum amicis quos frequentes sæpe domi perhumaniter perque benevole excipiebat paulo liberalius cervisiam impuram nec satis coctam recentemque adhuc è caldario biberat, tum rigente & nivali hyeme, omnibus rebus velut fato ad eum præcipitandum concurrentibus. Præsensit tamen funesti aliquid, cum cubiculum petens, lectulum sterni properè imperavit. Invitatus interea ad focum, sedere noluit. Focо enim quantumvis horrente cœlo, vir, ac

Altera Historia.

Græcè est ἀπολεξία. *Hipp. in Tradict. & lib. de gland.*

ne vix quidem utebatur etiam valens ac vegetus.

Ratiocinatio.

Cerebrum amplissimi adenis similitudinem perferens, multaque redundans humiditate, quàm plurimis obnoxios homines morbis facit, eos præsertim qui amplo sunt capite. Ac indigesti humoris molesta redundantia, nisi consueris viis per aures naresve aut palatum expurgetur, necesse est obstructis cerebri sinibus, ac spirituum ultro citroque commeantium ductibus impeditis repente animal velut cælitus perculsum attonitumque concidere & suffocari. Evenire autem id hyeme maximè autor est *Hippocrates*. Tum enim & pituita magis infestat, & à circumambientis aëris frigore constrictis poris impurorum difflatio vaporum impeditur. Quid quod crudæ nec defœcatæ cervisiæ potus intempestivus, crassos tetrosque exhalans fumos, velut aliis cumulus malis accessit?

ἡ κεφαλὴ καὶ αὐτὴ τὰς ἀδένας ἔχει τὴν ἐγκέφαλον ἴκελα δὲ ἀδήν.

Hipp. lib. de glandulis.

Cæterum quid amico postrema patienti allatum auxilii sit rescire tum absens non potui. Equidem ab illius immatura, subitaque morte, tantum animo concepi dolorem, quantum nec ulla ratio lenire, nec multorum annorum curriculum radicitùs evellere potuerit. Quoties subit recordatio, jucundissimæ quæ mihi

mihi cum illo intercedebat familiaritatis, toties erumpunt ab oculis, invitò lacrymæ. Memini cum totos dies, gravissimis, de bello, de Historia, repub. cujus haud exiguam in sua provincia partem atrigerat, sermonibus nunc sedentes, nunc ambulantes consumeremus. Nec ipsius me tædebat, nec ipsum mei. Quam multus in eo candor? quàm ingenua gravitas? quàm sincerum judicium? quàm multa lectio? ut illum omnino dignum in illis remotissimis *Cambriæ* locis invenerim, cui cum immortalis amicitiæ devinctione conjungerer. Quare quamdiu superstes ero, vivet ille in animo meo, nec memoriam illius erga me meritorum unquam deponam. Vellem æterno marmori hoc Epitaphium incisum extare, verum & duraturum amoris in eum mei & ipsius in me voluntatis monimentum.

Hic

Hic jacet heu! longum meruit qui vivere sæ-
(clum,
Fidus sinceræ cultor amicitiæ.

Invida mors illum, telo trajecit adunco,
Quæ tot perjuros vivere cæca sinit.

Quid queror? Æterni sic stat sententia Patris,
Qui sub adorandis legibus, astra regit.

Is vocat Empyrei justos ad præmia cœli,
Vultque malos, alia conditione frui.

Illos, ne sacra deflectant tramite legis,
Defessi longè fortè labore viæ.

Hos, ut transacta pigeat per crimina vitæ,
Adque bonam frugem se revocare velint.

Historia

HISTORIA 15ª.

ANTE id tempus mulier quædam amisso filio in quem recèns natum omnes amores contulerat, non animi magis quam corporis ægra, noſtram imploraverat opem. Lenta erat febris, animi frequens deliquium, tumor uteri, averſus à cibis appetitus, & excrementorum ſuppreſſio. Ac febris quotidianæ exacerbationes, mœrentem afflictabant.

Huic non tam Pharmacopæo, quàm prudenti Medico & conſolatore opus fuit. Nam cùm nihil ſit quod ita vires convellat, perturbet humores, atque temperamentum ſubvertens humidum exhauriat primigenium ac mœſtia; tum ſi medicamenta per ſe acerba, & inimica naturæ præbeantur, præcipites in mortem ægros agi, neceſſe fuerit. Conſolandi ergo ſunt ac paulatim inficiendi quemadmodum Hippocrates docuit: τὰ ἐν πολλῷ χρόνῳ λεπτυνόμενα σώματα, ναυθρῶς ἐπαναπλήσαι δεῖ. Nam quid ei medicaminis exhibeas, qui ne cibum aut ſumere vult, aut poteſt? Sed unde febris & animi deliquium & alia

Ratiocinatio.

Aphoriſ. 7. Sect. 2ª.

alia ſymptomata ? Mœrore corpora reſiccari conſtat, inde obſtrui viſcera, oriri putredinem & lentum excitari calorem. Lentum quia vel vires deſint, vel frigidus & lentus humor, non ita vehementem calorem concipere queat. Exacerbationes verò immixtam bilem effeciſſe reor; Defectiones, quod circularis ſanguinis commeatio præpedita fortè eſſet, aut tetri & calidi vapores, è viſceribus impuris exſpirati cor ferirent. Ar averſioni ciborum cauſam præbebat, impactus orificio ventriculi pravus humor, ſive pituita, ſive bilis eſſet. Denique ſitim accendebat præter naturam invaleſcens calor.

℞ Diæta & Cardiacis pharmaceis curata eſt, & interdum ejectis clyſmatibus. At cum ei vires paullo firmiores factæ eſſent, alexiphamica quoque pharmaca data ſunt.

Hiſtoria

HISTORIA. 16.

SUbinde Rheſo *Wilhelmo* decem & quatuor annorum adoleſcenti neceſſaria fuit opera noſtra. Invalidum ei corpus erat & tenerum, & imbecillus à natura conſtitutus pulmo, & crudis abundabat humoribus, facile ut quavis ex cauſa in morbum incurreret. Ac tum quidem tuſſis ei moleſtiſſima, febrim ac pulmonum inflammationem attulerat. Turſitanti ut ſit & inter æquales luſitanti, id mali obvenerat. Pulſus interdum magnus, nunc languidus, nunc inæqualis, & undoſus, vomitus frequens & urinæ rubræ.

Galenus promptum eſſe pulmoni air, omnes ſuſcipere humores. Credo ob ejus raritatem & mollitiem, tum quia cerebro ſubjectus ſit, à quo directi in ipſum meatus. Multò tamen promptius eſt à pituita infeſtari propter illius & craſſitiem & lentorem. Nam & ſanguis & bilis cum & tenues ſint & facile fluentes, præterlabuntur, hæret ac impingitur ſua viſcoſitate pituita. Impactam verò cum extuſſire conatur pulmo vehementi motu ſe commovens, & calorem excitat & ciet ſanguinem. Hincque inflammatio quæ *Græcis* περιπνευμονία eſt appellata. Cujus & comes

Ratiocinatio. Comment. in Aphoriſm. 33. Sect. 6.

comes est febris, & spirandi difficultas, & sitis & pulsus inconstantia. Cujus morbi generationem præclarè admodum describit Magister ἡ δὲ περιπλευμονίη γίνεται ὁκόταν κεκινημένου καὶ ὑγραινομένου τοῦ φλέγματος καὶ τῆς χολῆς ἑλκύσῃ ὁ πλεύμων ὑπὸ θερμασίῃ ἐφ' ἕστον, &c. Itaque hic quidem morbus pleuritide multo est periculosior, propterea quod & pulmonis magnum sit & excellens ministerium & summa necessitas, neque affici magnopere possit, sine totius corporis detrimento. Quorum vero & natura & affectiones humidæ sunt, ij multò deploratiùs laborant, quàm quibus sicca temperatura.

Lib. 1. de morbis. Item alibi de diebus judicatoriis.

In curando hoc affectu, doctrinam Hippocraticam velut certissimam mihi regulam proponens, benigno pharmaco, caput in primis levius faciendo, hoc assecutus sum, ut & malum ab ipso fonte oppugnarem, ne quid amplius in pectus influeret; & alvum modicè cierem, antequam invalesceret morbus, & ægrotanti vires labarent. Nam alvo remollita cùm dolores leviores fiunt, tum remissiores febres. Hinc exscreationi impacti humoris animum adplicui. Ac ista quidem antequam in vigore esset morbus, præstita sunt. Nam peripneumonia cùm in vigore est, auxilium non admittit. Sed non confertim & perturbatè medicamenta sunt adhibita. Nam principiò quoniam id ægrotantis & vires & natura ferebant,

Θεράπεια.

Hipp. de ratione victus, in acutis.

ferebant, & anni tempus & genus morbi requirebant, cubiti dextri venam internam aperuimus, unde ſanguis fluxit ad ſex uncias. Poſtridie ſub veſperam Catopotia dedimus, queis benigne admodum purgatus eſt. Inde potiuncolas dulces è ſyrupis capillaribus ptiſanæ immixtis. Unctiones poſtea pectoris & laterum expectorationi promovendæ.

Sereavit & repurgatus eſt; & urinæ coctionem morbum inferentis humoris indicârunt quarto die, & undecimo; & ſub quartam decimam liberati cœpit & planè convaluit. *Deo ſoli honor & virtus & gloria.* *Eventus.*

Si lucubrationes noſtras in publicum aliquando vel fortuna, vel amicorum benevolentia impulerit, non ab omnibus probatum iri prævideo. Equidem nec omnibus ſcribo, nec omnibus probari cupio. Eſt enim illud pravitatis, hominum ingenitum mentibus, ut ſive perverſo contradicendi ſtudio incitati, ſive ſui jactandi venditandique improbo acti genio, ſemper alienos culpent labores. Nec dubito quin ut quotidiana mea in ægros opera curaſque damnant: ſic in meis quoque ſcriptis veſtigent quod reprehendant, gloriam inde ſibi quærentes. Neque cogitant, eos in lubrico & præcipiti fundamenta ponere, qui ſuper alieni ruina nominis, famam ſtruunt. Pleraque inſectorum animalium è putredine nata brevem & ferme diariam vitam ſanie & corruptione ſuſtentât. Ergo carent ſanguine pravo tantùm ſucco plena. Invidis & obtrectatoribus

trectatoribus ineſt quiddam ſimile. Nihil uſquam veræ virtutis obtinent, ſuâque ſe pravitate æque ac alienis vitiis alentes, aut humi obrepunt, aut maledicentiæ alis ſubvecti circumvolant ad aliorum labores carpendos, nec unquam ſe poſſunt ad verum decus erigere. Pigmæos puſillum genus, imitantur quos fama eſt dormientem Herculem, inutili exercitu circumfidendo, ingentem ſibi apud poſteros gloriam, parare voluiſſe. At ille excuſſo ſomno, omnes velut importunum culicum agmen abegit. Erunt igitur qui meam in præſcribendis remediis tarditatem accuſent. Alii culpabunt in detrahendo ſanguine trepidam cunctationem. Quidam anxiam in obſervandis ſignis ac diebus diligentiam redarguent. Nec deerunt qui ſuperſtitioſum Hippocraticæ artis obſervatorem irrideant. At ego gnarus non omnibus ſati fieri poſſe, ne id conor quidem. Abundè fuerit ſi recta & æqua æſtimantibus placuero. Enimvero ordienti mihi ſtudia Medicinæ, conſtitutum fuit Hippocratis atque Galeni documenta ſectati & longâ ſæculorum ſerie confirmata & virorum præſtantiſſimorum exemplis uſuque comprobata. Nec tamen omitto ſi quis poſteriorum ſæculorum rectè ſenſerit. Perſuaſumque eſt Medicum eſſe naturæ contemplatorem & adminiſtrum: eam Medicamentis juvandam non opprimendam: neque temere prodigenda remedia, quæ multis mortalium ſaluti fuiſſent. Plus autem periculi fere ſemper ægrotantibus imminere

imminere ab impe ito Medico quàm ab infestante morbo. Non esse sapientis Medici quidquam cum ægri discrimine experiri. Plerumque in dubium vocari eorum & fidem & navitatem & operam quos à Pharmacis temperandis divendendisq; Pharmacopœos & Pharmacopolas nuncupamus. Denique curationem, non qualemcunque medicamentorum exhibitionem, sed rectam & oppositam administrationem appellari. Postremo prudentem Medicum ita curationem instituere debere, ut non præsentis tantum morbi rationem habeat, sed operam quoque det, ne in posterum grave aliquod ex perperam suscepta curatione damnum oriatur. Atque adulescentulum cujus facta mentio est, sine dubio jugulasset, quisquis ei vel sanguinem liberali manu detraxisset, vel magnam medicamentorum copiam, nullo delectu, nullo ordine à principio præbuisset. Quippe prostratæ penitus vires essent, antequam ad vigorem morbi perventum esset; impedita quoque secretio. Sin autem, neque detractum aliquid sanguinis fuisset, nec alvus blando subducta medicamine, tum & febris increvisset, & capitis dolor pertinaciùs afflixisset, & illabentibùs à capite humoribus pectus oppressum esset. Id insuper nos à detrahendo sanguine revocabat, quod & laborans naturæ mollis erat, atque facile dissipabilis & pituitâ magis quàm sanguine abundabat.

HISTORIA 174.

PAuci admodum sunt, quos sacra matrimonii vincula colligâtunt, quin infelices se reputent, si liberorum optatâ careant sobole. Ut enim quisque & ingenio præcellit & opibus pollet eâ maxime cupiditate ducitur, ut cum omnes interitui obnoxios esse sentiat, ita se nomenque suum, procreandis liberis perpetuare, atque immortalitatis, quo tenetur, desiderio, satisfacere summopere contendat. Quare qui in orbitate sunt, eos mœstam & insuavem ducere vitam necesse est. Inde fit, ut ij Medici summam sibi famam, arti quoque suæ maximam gloriam comparent, qui accommoda curandæ sterilitati, vel ipsi invenire, vel ab aliis inventa adhibere præsidia possunt. Quod ut faciant & singulari diligentia in seligendis remediis, & in perquirendis causis non vulgari judicio indigent. Varia enim, pro causarum varietate sunt præscribenda medicamenta. Sed nihil attinet de his, nunc quidem temporis disputare. Quanquam illud affirmare vere possum plerosque juvenum præ ardenti procreandæ prolis cupidine, præque immoderato rerum venerarum usu spem frustrari suam. Ac memini cum ad me querelas suas matrona nobilis detulit; filiam juvenculam boni habitus jam inde à quinquennio nuptui

nuptui traditam itidem bene temperato Juveni expertem tamen liberorum vivere. Idem querebantur invenis parentes; & ut ipsorum orbitati qua fieri posset ope subvenirem, postulabant. Ego solatus eos, respondi me causam sterilitatis exploraturum. Et quod nullam reperissem: quod juvenes progenie fraudarentur; id aut alterius ipsorum, aut fortassis etiam amborum culpâ fieri: quippe qui connubiali libertate intemperanter abuterentur. Inde genituram aqueam & tenuem effectam, locis muliebribus frequenti coitu satiatis, non posse retineri. Fœminam quoque fatigatam segniorem reddi ac minus complexuum appetentem. Patri vero Juvenis autor fui ut ipsum interea aliquo amandaret, dum ipsius conjux quietis aliquid capere & remedii posset. Præscripsi quæ è re videbantur, & ut ipsius corpus repurgaretur, tum ei genitalia odoro medicamine foverentur, ac cibis uteretur exquisitis. Et commodum accidit, ut maritus levicula febre tentaretur. Quare sub prætextu mutandi cœli abfuit aliquandiu. Deinde percuratus cùm domum rediisset conjugales amplexus petens, uxorem impregnavit, quæ nono mense puerulum formosulum & elegantulum fœlici partu enixa est.

Historia

HISTORIA 18ª.

ALia mihi nunc res dicenda venit ex qua possit intelligi quàm graves sæpenumero in casus ex levissimis, ut videtur causis incidamus. *Richardus Protherochius* admodum generosus Armiger, arcta mihi devinctus necessitudine fuit. Is cùm sub ineuntem Majum, manè ad videndas operas exisset quæ stagnum ei fodiebant ad aquas è subjacenti prato derivandas, repentè me & inspectante & admirante, vultu, gutture, pectoreque toto intumuit. Ac primò quidem pustulæ rubræ, veluti si urticis verberatus esset; tum ex pustulæ subito in unum coeuntes, magnum efficiebant tumorem, adeo ut mentum ei supra pectus, sicut præpinguibus bobus solet paleare, demitteretur. Qua ex re tam insolita, ingens omnes qui aderant, stupor invasit, aliis venenum datum, aliis pravam herbam tractatam; his maleficio affectum; quibusdam, id quod vero simillius erat, maligna afflatum aura, dictitantibus. Solum erat putre, stagnantesque & olidas aquas contegens: quod cum à fusforibus apertum esse; tetrum & pestiferum exhalans; non ipsos fossores, nec alios, quorum & densa duraque labore cutis & robustior habitus; sed ipsum *Protherochium* læsit; qui & fors, thoracem deduxerat, & mollis erat, raræque

que & læviusculæ temperaturæ, cuique apertiores erant pori, quibus irrumpens aura tetra atque pernitiosa, tantum inferre mali potuit. Cujus vis quod altius penetrans, viscera non infecerit, ipsorum temperamento firmitudinique tribuendum est. Esse vero loca unde tam infensus vitæ mortalium vapor exspiretur ut etiam prætervolantes aves enecet, satis constat. Cujusmodi quem describit sexto *Æneidos Virgilius*.

Spelunca alta fuit, vastoque immanis hiatu,
Scrupea, tuta lacu nigro, nemorumque tenebris,
Quam super haud ullæ poterant impune volucres
Tendere iter pennis, talis sese halitus atris
Faucibus effundens, supera ad convexa ferebat.

Huic autem malo medicatum est *Aristolochia* rotundæ radice intro sumpta. Mirum arcano modo præparatam oportuit. Tum pectore & collo, quâ intumuerant, salvia & rura & rore marino cum aqua & vino fotis, adplicitisque cucurbitulis. Atque intra biduum omnis ille tumor evanuit, persanato *Protherochio*. *Sit nomen domini benedictum.*

Historia

HISTORIA 19.

PArvo sæpe adjumento, in tempore allato, magnos depelli morbos contingit. Juveni pravis humoribus diffluenti, vetus tibiam ulcus fœdabat. Huic ego catapotia purgando corpori dedi; tùm paullò infra genu, tibiam male affectam inussi. Et intra dies aliquot penitus percuratum est ulcus. Intercepto nimirum manantis humoris carnem acritate sua corrodentis cursu. Incassum alia remedia tentata fuerant.

Historia

HISTORIA 20.

RIsum tenere nequeo. Medicorum noſtrorum levitatem reputans, modo deſidiam, modo nimias exercitationes inculſantium. His quippe ſpiritus exhauriri, vireſque peſſumdari, & diſſolvi temperamenti harmoniam. Illâ pravos humores colligi, veternum induci, robur infringi, & hebeſcere mentis aciem. At modus tenendus. Quis tandem? ſi & negotia laborem exigant, & amor ſtudiorum ſolitudinem ac receſſum poſtulet, & receſſus otium faciat? Nugæ ſunt hominum delirantium & omnem humanæ vitæ ordinem intempeſtiva prudentia perturbantium. Ordo vitæ poſtulat ut moriamur, neque, quidquid egerimus, aut vitare morbos, aut mortem effugere poterimus. Undique nobis, ſeu feriatis, ſive negotioſis imminent morbi, & mors inertes æque ac laborioſos invadit. Aliquos antea memoravi quibus ex otio nata pernities eſt. Nunc dicendi quos labos in morbum egit. *T.C.* Equeſtris familiæ vir longo ſuſcepto itinere, cum citatis equis domum reverſus eſſet, magnos omnium membrorum dolores ſenſit, cum febre & tuſſi & vigiliis, & omnis cibi faſtidio, & ſi quid intro ſumpſiſſet, vomitione. Quæ mala exaſperaverat, intempeſtive præbitum emeticum ab imperito Medicaſtro, quales multi ubiq; gentium reperiuntur.

Huic ego morbo laſſitudini inflamma-

Ratiocinatio. toriæ, *Galeni* doctrinam secutus, libentissimè nomen dederim. Contusis ex equi succussatione membris, diffusisque per musculos acribus humoribus, qui & eos in tumorem attollebant: & tanto doloris sensu afficiebant ut vel levissimo tactu offenderentur. Tussis & febris impurorum succorum erant indices, qui excitati ab insolito motu imbecilliores in partes defluebant. In ægrotantis constitutione dominium flava bilis obtinere videbatur, quæ longe acriores succos suppeditat.

Implicitum malum, multiplicem medelam requirebat. In primis Diætæ prospectum est. Prisana cum uva passa & radicibus graminis & liqueritiæ pro potu fuit. Cibus, avenatum, & juscula & assi pulli. Hæc ubi constituta, medicamentis data est opera. Et incœptum à levi catartico ex pulpis Tamarindorum & Cassiæ, & manna & uvis passis sennaque & prunis. Inde paratus linctus leniendo pulmoni. Quæ cum rectè processissent & febris remisisset, immersus est æger balneo aquæ dulcis, chalasticis & anodynis, & refrigerantibus temperato. A balneo sudatum est aliquandiu & dormitum. Id balinei genus cum dies aliquot continuatum esset, dolore sedato penitus febris desiit. At ne quid recidivam faceret Cervisiam convalescenti perscripsimus, sennæ foliis, polypodio, pulmonaria, russilagine, agrimonia, passulis mundatis, cinnamomi quoque. Zinziberisque momento medicatam, cujus usus mirifice profuit. *Deo sospitatori Gloria.*

Historia

HISTORIA. 21.

ATque illi quidem necessaria equitatio morbum attulerat. Hic vero quem memoratimus sum oblectationes consectatus pene reperit mortem. Is fuit *Humfredus* de quo jam ante dictum est. Qui cum salutaria quæ ei dederamus consilia negligeret, suo malo sensit, quam exitiabile esset Medico non esse obtemperantem. Eum febris, pulmonum inflammationis comes, & tussis & expertes somni noctes vexabant; morbus, ei similis, à quo superiori anno servatus erat, nisi quod hic esset acerbior vix ut ullam speraret salutem. Ejus curationem à sanguinis missione exorsi sumus. Tum blande repetito pharmaco per intervalla, quidquid morbificæ materiæ coctum videbatur purgatum est; & usque pulmoni & ventriculo prospectum & cerebro per carapotia & linctus dum æger extra periculum constitutus videretur. At cum admodum esset sui negligens remansit morbosa dispositio, quæ non ita longam ei vitam pollicebatur.

Vere *Cornelius Celsus* dixit, *multum interesse à principio quis recte curatus sit an perperam.* Nam si quid pravitatis relictum

sit recidivas parit. Partes vero nisi planè nativo temperamento priſtinoque robori redditæ sint: facile cedentes exercitarum causarum impulsibus labefactantur & noxam contrahunt. Atque iidem evenit persæpe non tantum Medici male curantis culpa, sed etiam ægrotantis, mandata non observantis errore. Id quod *Humfredo* causa pernitiei fuit: qui sibi restitutam sanitatem lætatus, haud perinde ut debuit conservavit; ad consuetum libere vivendi morem reversus nondum penitus confirmata partium morbo defunctarum temperatura.

HISTORIA 22.

MAGNUM profectò malum ebrietas & multorum parens morborum est. Ejus pernitiem sensit quidam non è plebe, in febrem impulsus cum magno capitis dolore. Cui curando nihil aliud præcepimus præter apozema certâ medicatum ratione quo cum quinque diebus usus esset adjecta vini cervisiæque fortioris abstinentia, priſtinæ valetudini restitutus est.

Non

Non ita fortunatus fuit ejus Combibo. Nam cum aliquot dies consiliis usus nostris, extra periculum esse videretur; persuasus à congerronibus, vino contractum morbum, vino expellendum: hispanicum poposcit crebris poculis. Et cum postridie febrim accendi magis ac magis animadverteret, dilutam theriacam adjecit, at non plane exactis horis triginta interiit.

Hæc sors ebriosos manet. Vereque possum affirmare, nullum esse venenum vino immodice sumpto pernitiosius. Ab ebrietate ctuditas, cachexia, paralysis, convulsio, mors. Vidi ego permultos bene constituti corporis, & indolis bonæ, quos ebrietas è statu mentis, in insaniam adactos, & gravissimis omnium membrorum confectos doloribus, immaturam ad mortem egit. Quorum exemplo utinam posteri sapere didicissent. Sic perfectò est: *Plures occidit gula quam gladius.*

HISTORIA 23,24,25ª.

Utilitas mittendi sanguinis.

SAnguinis detractionem summum ac certissimum esse complurium morborum profligandorum adjumentum, cum experientia, tum ratione, tum etiam autoritate constat. Sanguinem imminuere, vel apertâ scalpello venâ, vel admotis hirundinibus, vel inflictis levi incisura vulnusculis, & *Hippocrates* & *Galenus*, & *Fernelius*, & *Duretus*, & *Senertus* & *Riolanus*, & *Hollerius* & omnes cum novæ tum veteris Academiæ doctissimi Medici præceperunt. Non in omnibus quidem morbis, sed in iis solum, qui à plenitudine, redundantiaque sanguinis oriuntur, sine turgeant vasa, seu vires oppressæ mole sua labefactentur. In putridis igitur & ardentibus febribus, in phrenitide, pleuritide, ophtalmia, angina, peripneumonia, in omnibus denique partium, cùm internarum, tum externarum inflammationibus, detrahendus est liberali manu sanguis. Nam si quis in hydrope aut tabe, aut frigido catarrho, aliove ejus generis morbo laborantibus venam secuerit, is non tam prudentis medici quam inhumani hostis operam præstiterit. Magna tamen cautio adhibenda est: viriumque & ætatis & tempestatis habenda ratio diligenter.

Id intelligitur de tabe quæ jam invaluit. Nam incipientis non vulgare remedium est phlebotomia.

diligenter. Nec magis audiendus Boratallus, ejusque sectatores, qui nullum aliud omnibus morbis præsidii genus præter diminutionem sanguinis afferunt, à qua non ante desistunt, quam omnem fere vacuaverint: quàm aut Erasistratus aut Paracelsus, aut cæteri veterum errorum novatores; quibus tanta est & tam præpostera in mittendo sanguine religio, ut ægros perire malint, quam unam unicam sanguinis unciam effluere, finere.

Summorum in omni ætate Medicorum autoritati ratio etiam ipsa mirifice suffragatur. Nam si contrariorum morborum contrariæ sunt curationes; sine dubio quos morbos, sanguinis copia peperit; iis morbis neque tutius, neque citius neque felicius potest quàm ejus imminutione subveniri. Id quod ne ipsi quidem Hermeticæ scholæ discipuli, paulum elimatiore perditi judicio negabunt. Quamquam enim similia similibus curari dictitent, id rectè acceptum, non admodum *Hippocratica* sanè familiæ placitis adversatur. Nam id sic est intelligendum, ut si causas spectemus, unde morbi ducunt originem, remedium in similitudine quærendum sit; sin autem effectus consideremus ij per contraria propulsandi sint. Dicunt Hermetici calculi causam esse Tartarum (hoc enim utuntur verbo) sive sal concretum è vitiosis humoribus, seu lotio, quod etiam vocant humani corporis lixivium, ex quo per renes trajecto percolatoque, lapillos facile coalescere.

Hippocratidarum & Hermeticorum opinio reconciliatur.

coalescere. Id quod explicant variis experimentiis. Hoc igitur sal sive tartarum (quam causam ac materiam esse calculorum volunt) salibus nimirum dissipabilibus; at comminuentibus & incidentibus & solutivis. Iidem podagram dictitant ab acribus erodentibusque & tartareis salibus generari: salibus itidem sed mitioribus, lenientibusque & consolidantibus propulsabitur. Quod aliter quoque possumus interpretari. Nimirum morbos contrariis averruncandos, partes vero quibus insident, similibus præsidiis conservandas. Fateor equidem *Hippocratis* & *Galeni* sectatores impropriè admodum loqui cum aiunt curari morbos. Nam cùm morbi neque substantiæ sint nec habitus; sed errata naturæ duntaxat, & velut à recto deviationes ac privationes: nemo acuti sensus eos dicat ullius curationis capaces: sed eas tantum corporis partes, quas aberrans natura male constituras reliquerat. Ergo hunc in modum re consentientes, verbis dissentientes, utriusque sectæ opiniones conciliari posse existimo. Tametsi enim *Hippocratis* & *Galeni* doctrinam inprimis amplectendam esse mihi, jampridem constituerim; tamen non usque adeo pertinaciter in eorum verba juravi, ut non si quid aliunde novi luminis ornamentique præbitum sit, libenter quoque recipiam.

Tamen sunt quidam morbi qui dici possunt habitus.

Historia. Sequitur ut id quod à me dictum, doctissimorum in arte Medica virorum auctoritate

toritate confirmatum atque rationi consentaneum est; experientia demum comprobetur.

Jacobus Stedmanus generosus adolescens è Cardighania, nec firmæ constitutionis, nec validi corporis, sed qui levissimâ ex occasione offenderetur inque tabem propensus esset hyeme perfrigida equitans, lateris dolore, febricula & tussi perculsus vix redire domum potuit ut decumberet. Pleuritidem esse non dubiis signis statim animadverti. Multis vero persuasionibus opus fuit, ut mater, cui carissimus erat, venam ei pertundi pateretur. Quod ut factum est, statim & lateris dolor mitigari, & sedari febris, & tussis remittere, surrexitque intra paucos dies.

Fœminæ perhonestæ sinister oculus totaque adeo mala, sanguineâ inflammatione sic affecta est, ut præ dolore decumbere cogeretur, neque videre, nec quietem capere ullam potis. Oratus ab ejus viro, venam cubiti quam cephalicam vocant, aperui, sivique sanguinem abunde fluere. Intra biduum sine ullo alio remedio persanata est.

Juvenculam cui menstruæ purgationes haud procedebant, virgineo laborantem morbo una sanguinis evacuatione liberatam vidi. Chirurgum advocaveram ut è vena ad malleolos pertinente, sanguinem eliceret: quod cum perdifficile factu dixisset, sensum enim fugiebat; ego scalpellum arripiens, cubiti basilicam tu-

tudi,

tudi, sanguinemque detraxi corruptum & violacei coloris ad uncias fermè septemdecim. Constabant enim puellæ vires. Quam in via post aliquot dies reperi vegetam, vivasque rubore perfusam genas.

HISTORIA 264.

NIHIL in evacuando sanguine prudens Medicus facit, quin naturam habeat, & præsidem & demonstrantem; quæ sæpissime idem magno ægrotantium bono constat.

Annam filiam continua vexatam febri *Hugo Bellerius* militum Tribunus, pro deplorata habens, me nocte concubia accersitum misit, longe distantem. Sub primum diluculum cum venissem, (nam tota nocte citatis equis cursitum est) ægrotam reperi debilem, at mente sensibusque constantem. Id quod in omni morbo. Magister ait esse boni ominis. Versatoque in omnes partes animo, tandem de menstruis scisciatus sum. Nec incertis conjecturis brevi fluxura prævidens, bono animo esse mœstos parentes jussi, spem enim affulgere sanitatis. Inde præcepti assidentibus sedulo viderent, ne ægra frigore

gore quod pervehemens tum vigebat, læderetur; eique crura & tibias calefactis linteis perfricarent; medicamentum insuper bibendum dedi. Nec multa mora profluere ubertim sanguis; & exinde cedente morbo, ægra paulatim vires recipere dum penitus firmata esset.

EPILOGUS.

ATQUE has ego quidem historias ratiocinationibus illustratas, quâ potui veritate & sinceritate, in gratiam eorum scripsi, qui recentes ab Academiæ umbraculis in solem actionis Medicæ prodeunt, nondum versati in vastis πράξεως campis. Non autem scrupulosius recensendis minutim pharmacorum formulis inhæsi, fastidium vitare volens fatisque esse reputans, si fontes indicâssem. Quod si quis sinceri judicii, elucubrationes nostras in manus sumens, aliquid

aliquid inde profuturum selegerit, operæ pretium tulero; sin nemo legerit, me tamen haud facti pœnituerit conscium animi boni, beneque affectæ erga posteros voluntatis, Cæterum.

Regi Sæculorum Immortali & Invisibili
SOLI DEO *Honor & Gloria.*

FINIS.

Ad Lectorem.

ORatum te volo, *Benevole & candide Lector, ut si quæ errata reperieris, quæ multa festinantibus operis irrepere necesse est. ea benigne corrigas, neve autori imputes, ad tantum legentem, vale.*